EXORCISMUS PNEUMATIS MACROCOSMI PHYSICO-THEOLOGICUS, ...

Francisco : de Castillo Calderon

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
15 M H
17

V1.12.12.

Digitized by Google

EXORCISMUS
PNEUMATIS
MACROCOSMI
PHYSICO-THEOLOGICUS
Contra

Ethnicos Philoſophos Pſeudo-Triſmegiſtos & Anti-Platones,

Qui aſſerunt, Mundum eſſe hominem magnum, ingenerabilem, incorruptibilem, immortalem, fælicem;

nec non

Adversùs Neotericos Academico-Pneumocoſmicos,

Qui

Putant (ſalvâ ſupernaturalis fidei veritate) poſſe admitti Macrocoſmum eſſe, ad minimum, maximum animal: cujus forma ſubſtantialis ſit ſimplex Spiritus, realiter indiviſibilis, totus in toto Univerſo, totus in quolibet Elemento, & totus in quavis parte ejus, ingenerabilis, & incorruptibilis:

Ac per conſequens,

Nullam dari generationem ſubſtantialem, aut corruptionem:

Compoſitus

à

R. P. M. FRANCISCO de CASTILLO CALDERON, Hiſpano Santanderenſi, Sac: Ord: S. P. Benedicti ſtrict: obſerv: SS. Theologiæ Profeſſore, Concionatore Aulico & Capellano S. C. Maj: & in Monaſt: Imperiali Beatæ Virginis MARIÆ de Monte Serrato Pragenſi ſtudiorum Regente &c.

PRAGÆ: Typis Georgij Czernoch, Anno M. DC. LXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

2

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO

JOANNI FRANCISCO

LIBERO BARONI

DE

KAYSERSTEIN,

DOMINO IN SCHLOB
ET STARCKSTADT, &c.

SAC. CÆSAREÆ MAIESTATIS

SUPERIORIS AUSTRIÆ INTIMO,
NEC NON
ACTUALI CONSILIARIO AULO-BELLICO,
GENERALI CAMPI MARESCHALLO,
TENENTI REGIMINIS PEDITUM COLONELLO,
COMMENDANTI PRAGÆ,
ET INCLYTI REGNI BOHEMIÆ
GENERALI VICE-COMMENDANTI, &c.

Domino Domino ac Mecœnati
gratioſiſſimo.

ILLU-

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME DOMINE, MECOENAS GRATIOSISSIME.

QVod ij ſolent, qui adornandis ſuis operibus eorum veſtibula conantur reddere quàm ſplendidiſſima, monénte in eam ſententiam Pindaro: ἀρχομένυ ἔργυ πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. id eſt: principio operis frontiſpicium ponere oportet longè reſplendens; *Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine*, idem mihi, cùm opuſculum hoc, inter operoſa noctis ſilentia pervigili ſtudio elaboratum, *Tuâ* obſtetricante *Munificentiâ*, palam evolvo, faciendum judicavi. Eſt enim nobis colluctatio, non adversùs carnem & ſanguinem, ſed adverſùs *Spiritum mundi* hujus, ad cujus procelloſas arcendas tempeſtates, de mandato Apoſtoli Epheſ. c. 6. *Omnem armaturam DEI, ſcutum fidei, galeam ſalutis, & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum DEI,* indutus: id eſt, infallibilibus revelatæ veritatis principijs innixus, divinis Eccleſiæ Catholicæ ſcutulatus decretis, SS. Patrum conſonis galeatus teſtimonijs, & analyticis gladiatus demonſtrationibus, hunc concinnavi *Exorciſmum*, recenſitis omnibus conſtantem; cui additurus ornatum, Tuum illi Nomen præfero, *Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine*, ut ejus ſplendore ità reſplendeat eminùs, ut nullis vereatur cominùs malevolentiæ tenebris obnubi. Quamobrem in frontiſpicio ſtatui *lapidem pretioſum*, qui oculos animóſq; inſpectantium ad ſe raperet; LAPIDEM, inquam, CÆSAREUM (hoc enim Illuſtriſſimú ſonat TUUM NOMEN Kayſerſtein) multò æſtimabilio-

biliorem, quàm olim in ſuis theſauris ſe habere gemini gloriabantur Imperij Sinenſis Reguli: quos inter cùm amicum oriretur certamen, uter eorũ in theſauris ſuis lapides numeraret numero & pretio æſtimabiliores, jactabat unus: *decem ſibi eſſe lapides ovi magnitudine, quorum quilibet ad duodecim ſtadia lucem diffunderet.* Repoſuit alter: *at lapides, quos ego in theſauris ſervo, tuis longè ſunt excellentiores, vivunt enim & ſpirant: quatuor nimirum Præfectos in totidem Provincijs habeo, tanto virtutum ſplendore præditos, ut etiam ad mille ſtadia radios diffundant.* Ex quo tempore acroama illud, proverbij loco, apud Sinenſes inolevit: *Quatuor Præfecti mille ſtadia illuminant.*

Habent & in opulentiſſimo ſuo gazophylacio Auſtriaci Monarchæ *lapides vivos*, longè æſtimabiliores, plurimos Præfectos & Heroas fortiſſimos, qui non ad mille ſolùm ſtadia, ſed ad ultimos Romani Imperij fines, *Conſilia* & *Induſtriam* Imperantis virtutum ſuarum radijs deferunt, ac divulgant. quos inter CÆSAREUS veréque pretioſus es LAPIS, *Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine*, eò *excellentior*, quò glorioſius ex rebus pro DEI gloria, Catholicæ fidei Religione, & Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ incolumitate, non minori conſilio, quàm fortiſſimo, conſtantiſſimóq; animo abs te geſtis, tibi nomen peperiſti; eò *illuſtrior*, quò latiùs Illuſtriſſimi Tui nominis fama ſuam trajecit gloriam, quæ vota omnium ita ſatiavit, ut, provocatâ ad laudes immortales fælicium ingeniorum eloquentiâ, id effeceris, ut nemo bonorum ſpei ſuæ poſſit iraſci, quæ non eſt auſa cuiquam tantum promittere, quantum factis pro DEO & Cæſare ingentibus repræſentâſti, ut multis ea demonſtrare, non minoris foret inſaniæ, quàm lucem meridianam accenſo cereo velle fœnerari. Porrò ſi ductis è Litoſcopia experientijs, aquæ ad Auſtrum defluentes uniones generant: rectè ad Auſtrum, ad polum videlicet Auſtriacum, defluxiſſe dicam Illuſtres Tuos Majores, qui tales genuerunt Uniones, LAPIDES Cæſareos: quibus Cæſarum coronæ queunt venuſtari. Sed quia

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,

vix tua putaſti, minùs eſſe ratus alienâ gloriâ involvi, cùm tuâ te poſſes virtute

Digitized by Google

tute illuſtriùs veſtire; Majorum veſtigia tranſcendens, factis majoribus, nomen adeptus es, quod meruiſti, Illuſtriſſimum: ut Majorum fuerit prope nemo, qui non optaret novo modo ac jure tuarum virtutum eſſe hæres, dum Illuſtriſſimos Baronum, honorúmq; titulos, novum virtutis gloriǽq; argumentum, tuæ Proſapiæ feciſti oſtentamentum, tantò feliciùs, quantò pulchrius eſt eſſe, quàm naſci fælicem.

Miles es & *Militum gemma*, quem invicta Martialis animi virtus, ſæpe Cæſari patriǽq; probata, per varios dignitatum gradus inter ſupremos Cæſareæ militiæ Heroes ad ſupremum evexit faſtigium, dum *Generalis es Campi Mareſchallus, Tenens Regiminis peditum Colonellus:* qui, ut invictæ DEO Invictiſſimóque Cæſari obligatæ fidei ſolenne præberes argumentum, Te per annos complures conſtans præbuiſti fidelitatis ac fortitudinis exemplum; & ut Cæſari fidum penderes obſequiũ, nullum declinâſti periculum: quin pro fide & Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ incolumitate lubens caput objeceris. Stetiſti à prima ætate inter arma intrepidus, ad arma natus, in arena conſtans velut LAPIS immobilis: ut, ſi hoſtis *omnem moveat lapidem*, non tamen movearis in æternum.

Didicit hoc ſuo ab annis emolumento Hungaria, ſuóq; exitio Luna Ottomannica, cui objectus, & in Hungaria præfectus ita ſtetiſti, ut ſteterit hæc tuo firmata præſidio, illa, ſuis hebetata cornibus, coacta ſit retrocedere. Unde, repulſo Turcarum impetu, ab Auguſtiſſimo ſemperq; Invictiſſimo mundi Oculo LEOPOLDO revocatus, & in Tyrolim, defuncto Sereniſſimo Auſtriæ Archiduce Sigiſmundo, deſtinatus, ita gubernâſti ſingula, ut ad votum & nutum Auguſtiſſimi Cæſaris cederent univerſa.

Intimus es *Maximo Cæſari* & *Actualis Aulo-bellici Conſilij Angelus*: nunquam conſiliorum inops, Te in omni rerum varietate comitante totius recti moderatrice prudentiâ, quâ ſingulis ſua quæq; appronas, commoda proſpicis, & abarces damna; privata curas, & publica tueris: regis præſentiâ, & præteritorum recordationem ad futurorum moderationem inflectis, eò ſemper intentus, quò Patriæ ſalus, & Auguſtiſſima Auſtriacorum Cæſarum Majeſtas innitatur.

Com-

Digitized by Google

DEDICATORIA.

Commendans es Regiæ Triurbis *Pragenſis*, *& Generalis Vice-Commendans Inclyti Regni Bohemiæ*, tot Excellentiſſimorum Heroum fœcundiſſimæ Matris, vel inde novo titulo glorioſæ, quòd glorioſiſſimorum decorum Tuorum, Tuǽq; in Auſtria, Hungaria, totóq; Imperio celebratæ virtutis ornamenta in Bohemiam quoq; derivaris; ut longè latéq; divulgatâ Illuſtriſſimi Tui Nominis fàmâ, nihil reliquum tibi eſſe videatur, præter modeſtiſſimum ſuſpirium, quod Alexandro ſuo fortuna conceſſit, quo ſcilicet Homerus revocaretur, inventurus in te alterum Achillem, qui novum divino carmini argumentum dare, & illud etiam fatigare ingenium poſſet.

Inclyta virtus Tua, ſed pietate ornata, quâ ad DEUM ita refers omnia, ut humana omnia nihil eſſe putes, niſi jactationes & fluctus, in quibus nil eſt firmum, niſi ea alliges ad anchoram veræ pietatis. Et licèt Illuſtriſſima indoles Tibi cunabula poſuerit, ad alta quæque congenita ſtimulaverit magnanimitas, ac inter ſupremos militiæ heroës invicta evexerit virtus, raræ tamen affabilitatis tuæ propylæo nihil eſt humanius, qua non ſummos tantùm revereris, ſed infimos etiam dignaris, humaniſſimè admittis ſingulos, & urbaniſſimè reſpicis univerſos.

Non tangam reliqua virtutum tuarum ſpecimina, qui mavis celebranda facere, quàm tua facta celebrari: habet enim hoc nativa virtutis indoles, ut cùm à nemine dignè poſſit deprædicari, nullus ei pro arbitrio queat aſſentari. Neque patitur Illuſtriſſima Tua Virtus arctari ſe in papyri periochen, quæ diuturnam fatigaret, & excederet panegyrim: mediocris enim virtus eſt, quæ dicendo poteſt exæquari; quam cauſam habuiſſe Veteres exiſtimo, cur ſola heroum templa taciti præterirent, ipsâ ſilentij religione profeſsi, ſemideorum facta eloquentiam omnem ſuperare. Neque alienæ requirit auctaria laudis, quæ ſuo ſe colore ſatis oſtendit, & pro ſe loquitur, multiplicatis honorum ac dignitatum titulis ſatis ſupérq; celebrata, & in ævum celebranda; perpetuant namq; virtus & honor, & parallelo complexu in mutuam ſe confovent ſocietatis correſpondentiam, ut bene Romani junctim gemellas utriuſq; ædes conſtruxerint. Ac licet corporis & fortunæ ornamenta temporis accurſu & decurſu vetuſtate flacceſcant, virtutis

Digitized by Google

tutis tamen & honoris in ſucceſſiva ſemper adoleſcunt incrementa, ſempérque vivit *Gloria virtutis neſcia ſola mori.*
viret poſt funera, cæteríſq; omnibus ex integro demptis, virtus tamen

pretium ſibi ſoláque latè
Laude ſuâ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſúque petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitijs animoſa ſuis, immotáque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Hæc eſt, *Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine*, quæ Te humanorum cordium magnetem, ſummorúmq; affectuum fecit illicium, Cæſareis admovit aulis, ſummis inſinuavit Principibus, ſupremis ditavit honoribus, & ad intima conſiliorum bellicorum adyta aditum patefecit. Hæc quoq; eſt, quæ meum hoc opuſculum vix enatum ad te rapuit, ut publico monumento palàm orbi facerem, quæ ſit Tua erga me munificentia, tuáque in omnes humanitas, quæq; mea tibi debitæ gratitudinis obligatio.

Patere igitur *Excellentiſſime & Illuſtriſſime Domine*, *Mecœnas Gratioſiſſime*, ut inter domeſticos tuos gentilitios Leones, benevolam inveniat favoris ac patrocinij ſedem, ut fortiſſimâ eorum cuſtodiâ munitum, ſicut Leo ad nullius pavet occurſum, nullius vereatur aſpectum. Patere, ut Orbi inclareſcat, Illuſtriſſimi Tui Nominis ſplendore illuſtrari, Tuâ gloriâ inſigniri, tuâ virtute animari, tuo patrocinio foveri. Augeat viciſſim ſplendores tuos Opt: Max: DEUS, nullis æmulorum umbris unquam obſcurandos, Téq; & Illuſtriſſimam tuam progeniem, Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ obſequio, & communi Patriæ bono diutiſſimè ſoſpitem conſervet, Tuámque virtutem ac munificentiam immortalibus olim vitæ beatæ præmijs æternùm remuneret. Ita precatur

EXCELLENTIÆ TUÆ

Devotiſſimus Cliens
P. M. FRANCISCUS de CASTILLO, CALDERON.

Digitized by Google

✠

INSTRUCTIO CLEMENTIS VIII. PONTIFICIS MAXIMI

Authoritate Regulis Indicis adjecta.

§. I.

De correctione Librorum.

Vide Indic. Clem. X. fol. 17.

L*Ibrorum expurgatio non niſi viris eruditione & pietate inſignibus committatur*, ijque *ſint tres; niſi fortè, conſiderato genere libri, aut eruditione eorum, qui ad id deligentur, plures vel pauciores judicentur expedire.*

I I.

in eodem Indic. fol. 14.

A*D fidei Catholicæ conſervationem non ſatis eſt, quinam ex jam editis libris damnatæ lectionis ſint, cognoſcere (quod Indice & Regulis confectis per Patres à generali Tridentina Synodo delectos, præcipuè ſancitum eſt) niſi illud etiam caveatur, ne vel ijdem denuò pullulent, vel ſimiles alij emergant, & propagentur, qui incautas fidelium mentes occulto veneno inficientes, juſtâ ac meritâ damnatione digni judicentur.*

I I I.

ibidem.

Q*Uæ autem correctione atq; expurgatione indigent, ferè hæc ſunt: propoſitiones hæreticæ, erroneæ, hæreſim ſapientes, ſcandaloſæ, piarum aurium offenſivæ, temerariæ, ſchiſmaticæ, ſeditioſæ, & blaſphemæ.*

ibidem.

Item verba dubia & ambigua, quæ legentium animos à recto catholicóq; ſenſu ad nefarias opiniones abducere poſſunt; profanæ etiam vocum novitates ab Hæreticis excogitatæ &c. Quales ſunt (reponimus nos hîc) Pneumocoſmicorum *Archæus & ſeminalis idea creata &c.* Quæ neque ab antiquis Philoſophis, neque à peritis Phyſicis, neque à SS. PP. neque à DD. Eccleſiæ, neque à DD. Scholaſticis, ſed à Paracelſo,

b

à Da-

à Daniele Sennerto, & à Sperlingero, Lutheranæ hæreſeos Profeſſoribus Wittembergenſibus, & facultatis Medicæ novis Æſculapijs excogitatæ ſunt. Vide Daniel: Senn. lib. de Gal. cum chym. conſen. & diff. cap. 9. fol. 217. aſſerentem, eſſe animam in ſemine tanquam in idea, & à generante tanquam avulſam partem, ſeu ἀπόσπασμα, ex ſemine partim & attracto ſangvine formare partes ſingulas, &c. Cujus propterea ſcripta, ut conſtat ex Indice libror: prohibitorum juſſu Beatiſſ. Patris Clementis Pap. X. noviſſimè edito, Typis Rev. Cam. Apoſt. Lit. S. fol. 251. proſcripta & damnata ſunt.

I V.

Vid. Indic. libror. prohibit. juſſu Clem. X. Pontific. Maximi editum. fol. 18.

EXpungi etiam oportet verba ſacræ ſcripturæ, quæcunque ad profanum uſum impiè accommodantur; tum quæ ad ſenſum detorquentur abhorrentem à Catholicorum PP. atque DD. unanimi ſententia. Denique ea aboleantur, quæ Paganiſmum redolent &c.

§. 2.

Num abolenda ac proſcribenda eſt Pneumocoſmicorum ſententia, qui aſſerunt, Macrocoſmum eſſe magnum animal; ex ſpiritu realiter indiviſibili, ingenerabili & incorruptibili & materiâ conſtitutum eſſentialiter primâ?

REſpondetur: neque abolenda, neque proſcribenda eſt Pneumocosmicorum ſententia, quia eorū, non ſententia, ſed ſecta à ſummis Pontificibus Clemente VIII. & Alexandro VII. jam pridem proſcripta fuit, & noviſſimè à Clemente X. Pontifice Maximo abolita, atque damnata eſt.

Lege Indicem librorum prohibitorum juſſu SS. P. Clementis Papæ X. editum, anno 1670. Typis Rev. Cam. Apoſt. fol. 11. lit. A. *Quòd animal univerſum ab unica anima &c.* fol. 33. lit. B. ubi Bernardini Theleſij opera de natura rerum, de ſomno, & de ſpiritu mundi his interdicuntur verbis: *item, quòd animal univerſum ab unica anima ſubſtantia moveatur, ac gubernetur &c.* fol. 42. lit. C. verb. *Campanellæ opera.* Hic enim Author pro defenſione Bernardini Theleſij Pneumocoſmici ſcripſit anno 1591. Philoſophiam ſenſibus demonſtratam, in 8. diſputationes diſtinctam. Typis Horatij

Sal-

Digitized by Google

Salviani Neapolitani. fol. 290. lit. S. verb. *Sennertus.* fol. 78. lit. D. verbo *Daniel Sennert.* fol. 251. litera P. verbo *Phyſica Hypomnemata Sennert.* fol. 310. lit. T. verb. *Thoma Campanella opera &c.*

§. 3.

DE IMPRESSIONE LIBRORUM.

I.

NUllus liber inpoſterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat Authoris.

In Inſtruct. Clement. VIII. in novo Indic. Clem. X. fol. 19.

II.

QUoad Authores regulares, cujuſcunq; Ordinis & Inſtituti ſint, illud obſervandum eſt, ut ne eorum ſcripta vel opera alijs ejusdem Inſtituti Regularibus examinanda committantur: ſed alterius Ordinis & Inſtituti viri pij doctiq;, & à partium ſtudio atq; ab amoris & odij ſtimulis prorſus remoti, eligantur:

Alexand 7. in Obſervat. ad regul. 10. Indic. Trident. juſſu Clem. X. noviſſimè editi. fol. 12.

III.

REgulares præter Epiſcopi licentiam (de qua regula 10. dictum eſt) meminerint, ſe teneri ſacri concilij Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem à Generali totius Ordinis, aut congregationis Prælato, cui ſubjacent, obtinere. Quid plura?

in Inſtit. Clementis VIII. in novo Indice Clementis X.

Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus. *Actor. 19.*

Cyrillus Alexand. §. 12. hujus tract. inquit: *unus eſt univerſorum Deus, dilatatur autem &c.* pro *dilatatur* ſaniùs dices, juxta canon. VIII. S. Damaſ. Pap. in confeſſione catholicæ fidei ad Paulin Theſſalonic. in Macedonia Epiſcop. derivatur. Unde in concilio Sirmienſi in expoſit. fid. coram Conſtantio Auguſtò definitum eſt: *ſi quis ſubſtantiam Dei dilatari, aut contrahi dixerit, anathema ſit.*

Digitized by Google

LICENTIA
REVER^mi PATRIS GENERALIS.

NOs Magiſter F. Joſeph Gomez Doctor Salmanticenſis & Generalis Sacræ Congregationis S. Benedicti per Hiſpaniam, Angliã &c. tenore præſentium facultatem impertimur R. Patri Magiſtro Fr. Franciſco de Caſtillo Calderon Sacræ Theologiæ Profeſſori, & in Monaſterio Imperiali B. Virginis MARIÆ de Monte Serrato Pragenſi Regenti, ut omnes materias ſcholaſticas, & tractatus Phyſico-theologicos, quos (ſicut nobis exponi fecit) paratos jam habet, ſervatis de jure ſervandis, & præviâ duorum vel trium DD. approbatione, in lucem edat. in cujus fidem haſce literas expedivimus, manu noſtrâ & Congregationis Secretarij ſubſcriptas, ac ſigilli noſtri appreſſione ſignatas. Madriti in Regio Monaſterio B. Virginis Mariæ de Monte Serrato. Die 3. Julij, anno M. DC. LXXV.

(L. S.)

Mr. F. Joſeph Gomez Doctor Salmanticenſis, & Generalis Congregationis Benedictinæ Hiſpanico-Anglicæ.

De mandato R^mi P. N. Generalis.

Mag. Fr. Joſeph Alarcos Secret. & Cathol. Maj. concionator.

ANA-

Digitized by Google

⁂

ANACEPHALÆOSIS TOTIUS TRACTATUS.

DIALOGISMUS I. DE MUNDO.

QUotuplex exiſtit mundus?	*Dialog: 1. pag.*
R. duplex: alius cauſa: effectus alius.	*1. §. 1.*
An intelligibilis mundus ſit Verbum Dei, idearum idea?	*Dial: 1. p. 2.*
Affir. R.	*§. 2.*
	Dial. 1. §. 4.
An Ariſtoteles geminum admiſſerit mundum?	*p. 4.*
Affir. R.	*Dial. 1. §. 6.*
An mundus viſibilis ſit Deus?	*p. 5.*
Neg. R.	*D. 1. § 7. p. 6.*
Quid ſentit D. Auguſtinus?	*Dial. 1. §. 8.*
Quinam Philoſophi & Poëtæ dixerunt, Deum eſſe animam Mundi?	*p. 6.*
An admittendus geminus mundus, ut ſenſit Plato?	*Dial: 1. §. 9.*
	p. 10.
Affir. R.	*Dial: 1. §. 10.*
Nunquid viſibilis vivit mundus?	*p. 11.*
Neg. R.	*Dial: 1. §. 10.*
An ſit mundus ſecundùm Triſmegiſtum animatus intrinſecè?	*p. 12.*
Neg. R.	*Dial: 1. §. 11.*
Quid tradidit Plato de anima mundi?	*p. 14.*
Quid ejus diſcipuli?	*Dial: 1. §. 12.*
An ex ſacra ſcriptura poſſit oſtendi, quòd elementaris mundus non	*eadem p.*
	Dial: 1. §. 13.
habeat vitam?	*p. 15.*
Affir. R.	
An vera Philoſophia cum ſacra Theologia pugnet?	*Dial: 1. §. 14.*
Neg. R.	*p. 28.*
An ſex dies, qui cap. 1. Genes. numerantur, fuerint unus dies,	*Dial: 1. §. 15.*
vel, ut litera exprimit, ſex naturales?	*p. 32.*
Affir. R. pro 2. parte dubij.	
Quid docet Angelicus Magiſter?	*Dial: 1. §. 16.*
	p. 33.
An SS. PP. & Eccleſiæ DD. circa diſtinctionem ſex dierum cum	*Dial: 1. §. 17.*
D. Thoma conveniant?	*p. 34.*
Affir. R.	

Dial: 1. §. 18. p. 35. An D. Auguſtinus doctior factus retractaverit ſententiam? Affir. R.

Dial: 1. §. 19. p. 38. Quid Manes ſeu Manichæus Pneumocoſmicorum Anteſignanus de anima mundi ſcripſit?

Dial: 1. § 20. p. 40. Capita hæreſeos Manetis recenſentur.

Dial: 1. §. 21. p. 43. Contra poſitionem duplicis principij referuntur argumenta.

Dial: 1. §. 22. p. 47. Quid S. Auguſtinus de duplici Manichæorum anima ſcripſit?

Dial: 1. p. 52. Criſis SS. Patris Leonis Pap. IX. in Manichæorum impiam ſectam.

Dial: 1. §. 23. p. 53. An præter Manichæos Gnoſtici omnes animatum eſſe mundum aſſeruerint? Cum S. Epiphan. & Irenæo affir. R.

ibidem. Impietates Gnoſticorum Pneumocoſmicorum referuntur.

Dial. 1. §. 24. p. 55. An Plato ſecundùm D. Thomam tres animas realiter diſtinctas aſſeruerit in quolibet homine? Affir. R.

Dial: 1. §. 26. p. 56. Quomodo oſtendit Angelicus Doctor impoſſibilitatem coëxiſtentiæ duplicis animæ in eodem numero corpore?

Dial: 1. §. 27. p. 60. Quomodo anima rationalis ſenſitivam continet & vegetativam?

DIALOGISMUS II.

Dial: 2. §. 28. p. 61. Quid neoterici dicunt ſpiritûs mundi fautores?

Dial: 2. §. 29. p. 63. Si datur ſpiritus mundi, in quolibet homine ſunt duæ animæ rationales.

Dial: 2. pag. 65. 66. 67. 68. Si datur ſpiritus mundi, macrocoſmus eſt magnus homo: unde ſequitur, quòd ſit ſubſtantia vel peccabilis, vel impeccabilis: prædeſtinata, vel præſcita: redempta, vel in puris conſtituta naturalibus: quia nullus Pneumocoſmicus illum baptizavit, aut abſolvit ab actuali peccato &c.

Dial: 2. p. 69. Eſt 1. articulus fidei, quòd Deus eſt omnipotens: unde ſequitur, quòd poteſt collocare omnes Pneumocoſmicos in ſpatijs imaginarijs: vel in vacuo intra univerſum divinâ virtute illato, quo ſuppoſito, quærant ibidem indiviſibilitatem ſpiritûs mundi &c.

Dial. 2. p. 70. Accidentia eucharistica manent ſine omni ſubjecto ſubſtantiali.

An

Digitized by Google

8

Anacephalæosis.

An accidentia eviſtica, quæ ſine omni ſubjecto ſubſtantiali manent, poſſint immutare aliquid extrinſecum? *Dial: 2. p. 71.*

Affir. R.

An ex accidentibus evchariſticis, manentibus ſine ſubjecto ſubſtantiali, poſſit aliquid generari? *Dial: 2. p. 72.*

Affir. R.

Quid Campanella de anima mundi? *Dial: 2. §. 37. p. 81.*

An Eccleſia definierit expreſsè formam ſubſtantialem panis poſt conſecrationem non permanere? *Dial: 2. §. 39. p. 87.*

Affir. R.

Non pertinet ad communes Philoſophos, ſed ad divinos Theologos tractatus de converſione panis in corpus Chriſti poſt verba conſecrationis, &c. *Dial: 2. p. 88.*

Aſſerere, quòd poſt verba conſecrationis manet forma ſubſtantialis panis, in quantum eſt communis corpori Chriſti & pani, non ſolùm favet Berengario Archidiacono Eccleſiæ D. Mauritij Andegavenſis, à Benedicto V. & IX. Joann. XX. & Gregorio VI. ſummis Pontificibus in concilijs Romano, Vercellenſi, & Turonenſi damnato; ſed etiam fovet Almarici Doctoris Pariſienſis hæreſin, & Wiclephi Angli impiam confirmat ſectam. *Dial: 2. p. 94. 95. 96. &c.*

Si datur ſpiritus mundi realiter indiviſibilis, nulla fit immutatio realis in forma ſubſtantiali panis, quippe nulla entitas eſt transmutabilis in ſe ipſam, ſed bene in aliam realiter diſtinctam per converſionem: unde ſequitur, quòd forma ſubſtantialis panis maneat abſolutè, ut hæc eſt forma v. g. A. *Dial: 2. p. 97.*

Criſis M. Dominici Soto. *Dial: 2. p. 98.*

Criſis Primarij Doctoris Salmanticenſis. *Dial: 2. p. 100.*

Criſis DD. Araujo, Suarez, Cornejo &c. *Dial: 2 p. 101.*

Criſis totius Eccleſiæ. *Dial: 2. p. 103.*

Criſis in doctrinam Gottfredi. *ibidem.*

Criſis in doctrinam M. Bannez. *ibidem.*

Criſis in opinionem Richardi, Henrici & Waldenſis. *Dial: 2 p. 105.*

Triſagium Eccleſiæ Græcæ refertur, & Liturgia. *Dial: 2. p. 109.*

Reſponſio Græcorum ad Nuncium Apoſtolicum. *Dial: 2. p. 111.*

Cenſura Orientalis Eccleſiæ in confeſſionem Auguſtanam Lutheranorum. *Dial: 2. p. 112.*

Li-

Digitized by Google

ibidem. Liturgia Eccleſiæ Coptæ.
Dial:2.p.113. Æthyopum Liturgia.
Dial:2.p.115. Liturgia D. Petri.
Dial:2.p.117. Ingnorantia Lutherana difflatur.
Dial: 2. §.41. p. 125. Error Pneumocoſmicorum revelatur, & novum emergit Sacramentum.
Dial:2.p.127. Oſtenditur, eundem eſſe in re, ſed in modo graviorem, Pneumocosmicorum errorem & Joannis Pariſienſis, impanationis Authoris &c.
Dial:2.p.129. S. Rupertus ab injuria vindicatur.
Dial:2.p.137. Ex ſecta Pneumocosmicorum inprimis ſequitur, Chriſtum non eſſe aliter ſub accidentibus evchariſticis quoad formam ſubſtantialem corporeitatis, quàm in formica, & in alio quocunque compoſito materiali &c.
Dial:2.p.138. 2. Chriſtum ante conſecrationem eſſe ſub accidentibus evchariſticis, in quantum eſt ſubſtantia corporea &c.
Dial:2.p.138. 3. Chriſtum, in quantum eſt ſubſtantia corporea, vegetativa & ſenſitiva, eſſe ubique ob indiviſibilitatem ſpiritûs mundi. Quod nihil aliud eſt, quàm Ubiquiſtarum error, quem Wittembergenſes Lutheri diſcipuli, & Lipſienſes Brentij aſſeclæ, ut articulum fidei amplectuntur.
ibidem. 4. Chriſtum, in quantum eſt ſubſtantia corporea, vegetativa, & ſenſitiva, biſariam eſſe ubique, videlicet circumſcriptivè ob indiviſibilitatem realem Spiritûs mundi, & ſacramentaliter.
Dial:2.p.141. 5. Spiritum mundi, qui eſt forma informans materiam totius univerſi primam, eſſe ſpiritum S.
ibidem. 6. Colligitur, quòd altitudo incomprehenſibilis Sacro-ſancti myſterij Trinitatis evacuetur à Pneumocoſmicis.
Dial:2.p.143. 7. Infertur, quòd Chriſtus non fuerit mortuus.
8. Deducitur ex ſolutione 11. Pneumocoſmicorum, quòd anima rationalis non ſit forma corporis, quod eſt contra ſanctionem Viennenſis concilij.
9. Quòd Chriſtus non fuerit paſſus ut homo, ſed ut brutum.
Dial:6.p.239. 10. Quòd Chriſtus fuerit incorruptibilis, ſumptâ incorruptibilitate pro inſeparabilitate animæ ſenſitivæ à corpore, ante reſurrectionem: quod eſt hæreſis Gaianitarum & Julianitarum in Epheſino concil. damnata. 11. Quòd

11. Quòd mundus totus quantus poſt incarnationem Verbi Divini eſt unitus hypoſtaticè ipſi Verbo Dei, ac proinde Chriſtus & Deus eſt. *Dial:2.p.149. §. 48.*

Qualis diſtinctio inter hypoſtaſin & perſonam? *Dial:2.p.150: §. 49.*

Impietas Neſtorij convellitur ſanctione concilij Epheſini. *Dial:2.p.150. §. 50.*

Decretalis Alexandri Pap. Cap. *cum Chriſto de hæredibus*, adverſus Mag. ſent. expedita. *Dial:2.p.152. §. 51.*

Quid D. Thomas ad Decretalem Alexandri Papæ dicit? *Pag: 153.*

Refertur vita Neſtorij. *Pag: 156. §. 53.*

Non ſolùm eſt de fide, quòd in Chriſto eſt unica ſubſiſtentia divina, ſed etiam, quòd non ſunt niſi duæ naturæ perfectæ, ſcilicet divina, & humana: Aſt ex ſecta Adverſariorum non ſolùm inveniemus duas naturas perfectas, ſed etiam tertiam. *Dial:2 p.160.*

Ex ſecta contraria ſequitur, quòd (exceptis Angelis bonis & malis) in rerum natura quatuor tantùm ſunt ſuppoſita adæquata, videlicet Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus, & Dominus Macrocoſmus. *Dial:2.p.161.*

An divinum Verbum in aſſumptione humanitatis aliquam hypoſtaſin deſtruxerit? *Dial:2.p.163.*

Neg. R.

Si admittatur Spiritus mundi in ſenſu Pneumocoſmicorum, ſequitur, vel quòd duo ſuppoſita ſunt in Chriſto, quod eſt hæreſis Neſtorij, vel quod divinum Verbum præexiſtentem hypoſtaſin deſtruxerit, quod eſt damnatum in 6. ſynodo generali act. 11. & conſtat ex fragmento epiſtolæ Anaſtaſij Papæ, quæ habetur in 2. tomo Concilior &c. *Dial.2.p.164.*

Quid dictat S. Mater Eccleſia? *ibidem.*

Si datur ſpiritus mundi, immaculata & ſuperbenedicta Virgo & Mater Maria non manſit intemerata in conceptione divini VERBI. *Dial:2.p.166.*

Imperatorium diploma ad Reverendiſſimum ac Religioſiſſimum Generalem Armeniorum. *Dial:2.p.167.*

Quid ſubſtantia, quid hypoſtaſis, & quodnam inter utramque diſcrimen? *Dial: 2. §.59. p. 168.*

Quid eſt per ſe ſubſiſtere? *Dial:2 p 169.*

Quid eſt natura? *Dial:2.p.170.*

Digitized by Google

ibidem. Quid eſt hypoſtaſis?

Dial: 2. §. 63. p. 173. Quid noſter Doctor S. Joan. Damaſc. de ſubſtantia & natura, hypoſtaſi & individuo ediſſerit?

Dial: 2. §. 65. p. 175. Pneumocoſmicorum referuntur argumenta.

Dial: 2. p. 180. Mundi ſenſilis cum intellectuali comparatio.

Dial: 2. p. 181. Hominis analogia cum cœlo conſideranda Pneumocoſmicis proponitur.

DIALOGISMUS III. DE COELO.

Dial: 3. §. 68. p. 182. An Cœlum ſit animatum ſecundùm Ariſtotelem? Reſp. negat.

Quid ſentit D. Thomas?

Dial: 3. p. 183. An D. Thomas quoad animationem cœli mutaverit ſententiam? Reſp. affirmat.

Dial. 3. §. 71. p. 187.

Dial: 3. §. 72. p. 189. Anti-Auguſtinus ad illa verba; *neque illud quidem certum habeo, utrum ad eandem ſocietatem &c.*

Dial: 3. §. 74. p. 192. An cœlorum Aſtrorúmque animæ (ſuppoſito, quòd non ſint de facto beatæ) ſint damnatæ?

Dial: 3. §. 75. p. 193. Si non ſunt damnatæ, neque beatæ cælorum animæ, nunquid viatrices?

An aurea Homeri catena (quam animam mundi dicunt Pneumocoſmici) ſymbolum ſit divinæ, infallibilìſque providentiæ? Reſp. affirmat.

DIALOGISMUS IV.

De immortalitate animæ rationalis à Philoſophis ethnicis aſſerta.

Dial: 4. p. 198. Quinam Philoſophi & Poëtæ animæ rationalis immortalitatem aſſeruerunt?

Dial: 4. §. 78. p. 200. Quomodo philoſophicè demonſtratur animæ rationalis immortalitas?

Dial: 4. p. 202. An Ariſtoteles ſecundùm D. Thomam aſſertor ſit immortalitatis animæ? Reſp. affirmat.

Dial: 4 §. 82. p. 205. An ex modo loquendi Ariſtotelis de beatitate animæ rationalis poſſimus colligere, illum immortalitatem animæ ſapuiſſe? Affirm. Reſp.

Dial: 4. p. 204. Quid ad hæc D. Thomas?

An

Digitized by Google

An in textu græco habeantur illa verba: *ſeparatum autem eſt ſolum hoc, quod verè eſt &c.* Reſp. affirmat. — *Dial: 4. §. 81. pag: 204.*

An Chriſtus veritas & vita palàm docuerit animam rationalem eſſe immortalem? Reſp. affirmat. — *Dial:4.p.208.*

Sanctio Concilij Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 8. de immortalitate animæ. — *Dial:4.p.209.*

Vanitas de 30. Æonibus difflatur. — *Dial:4.p.212.*

DIALOGISMUS V.

CONTRA SUPERSTITIOSAM DIVINATIONEM.

Quid dicendum de nonnullarum obſervationum ſuperſtitionibus? — *Dial:5. §.87. pag: 223.*

Quid juxta D. Thomam de ſuperſtitioſa divinatione dicendum eſt? — *Dial:5.p.217.*

Divinationis explicantur execrandæ ſpecies. — *Dial: 5. §.86. pag. 218.*

Determinatio ſuperſtitionum proſcriptiva. — *Dial:5. § 88. pag. 123.*

Quid dicemus de Aſtronomiæ genethliacæ Profeſſoribus. — *§. 89. p. 127.*

Quid D. Auguſtinus? — *ibidem.*

Quid D. Thomas? — *§. 90. p. 228.*

Criſis D. Auguſtini. — *§. 91. p. 229.*

Criſis D. Thomæ. — *ibidem.*

Criſis D. Chryſoſtomi. — *Dial.5.p.230.*

Quid ſit, *facti ſunt quaſi ſtipula*? — *§. 91.*

Cur Propheta dicit, *facti ſunt quaſi ſtipula*: & non potiùs fecit illos Deus quaſi ſtipulam? — *§ 92 p. 235. §. 93. p. 236.*

An undecima ſolutio Pneumocoſmicorum faveat Gajano & Juliano Hæreſiarchis? Affir. R. — *§. 94. p. 239. 240. &c.*

ODE.

DE RESURRECTIONE CARNIS.

§. 95. p. 243.

An Salomon, Samſon, Origenes & Trajanus fuerint ſalvati? Affirmativè R. — *§. ultimo p. 253. Dial. 5. &c.*

Digitized by Google

AD THEODIDACTUM ANAGNOSTAM.

ACturi in ſecundo tractatu contra Academicos (prudentiſſime Lector) probabiliter homines, non homines, ſecundùm ipſos, evidenter, juxta illud Socratis Præceptoris tritũ apophthegma: neſcio evidenter, an homo ſim: an aliqua fera: *in privatione cognitionis ſui ipſius, omnium Alphâ malorum, evidenter fundatum; omnem veris hominibus analyticam denegantes evidenter rerum naturalium cognitionem, unáq; affirmantes, atheiſmum & univerſos hæreticæ pravitatis errores in nullos veros homines evidenter, ſed in ipſas probabiliter feras, atheiſmi incapaces evidentiſſimè, tanquam in veros probabiliter homines, Academico-Pneumocoſmicos evidenter topicos, ter nullos evidenter eſſe refundendos Philoſophos; de evidenti divinitúsq; invariabili demonſtratione à poſteriorì unius ſuperexiſtentis neceſſariò Deitatis, ſimpliciter infinitæ, & univerſi cauſæ, déq; hujus ineffabilis veritatis quidditate Phyſico-metaphyſica; & in tertio de ejusdem Dei Patris ſapientia, ante ſæcula perſonaliter unico verbo genitâ, & in aurea litera carnis humanæ, ab omni prorſus litura liberæ, noviſſimis jam manifeſtatâ temporibus in plenitudine omnis gratiæ & veritatis: operæ pretium duximus, contra imminentes Pneumocoſmicorum hæreſes, in diſputationis limine occurrentes, acroamaſticum præmittere exorciſmum, abſolutè reflectendum in eos. Porrò ſi omnis homo, negativè infidelis, priùs quàm regenerationis tingatur lymphis, & ſapientiæ ſal, id eſt, ſpiritum ſcientiæ & ſapientiæ, ſpiritum veritatis, ſpiritum Filij Dei, Spiritum Sanctum mentali ſuſcipiat ore fidelis, ritè in facie exorcizatur Eccleſiæ, ut ab immundo liberetur Macrocoſmi Pneumate Microcoſmus, & abrenunciatis illius vanis pompis, per gratioſam inſtituatur æterna beata-*

tita-

Digitized by Google

titatis hæres ſapientiam: (quippè nullus ſtultus felix, ſapiens nullus eſt miſer) *abs re minimè erit unumquemq; ethnicum Philoſophum Academico-Pneumocoſmicum, pervicaci ſpiritûs mundi aſſertione obſeſſum, & probabili maximè ignoratione ſui ipſius evidenter ſopitum (non enim ſcit evidenter Academicus, an ipſe ſit Deus per eſſentiam, & univerſi conditor, vel an ſit veri Dei realis effectus, ſed probabiliter utrumq; eſt, & Deus primus & noviſſimus per eſſentiam, & ipſa formalis ignorantia per eſſentiam effectus, ac proinde nihil) ab alto ſuſcitare lethargo, hoc proæmiali exorciſmo, antequàm ad ſacroſanctæ theologiæ divinas ſiſtatur auditurus fores:* * Ἐφφετα, καὶ Γνῶθι σαυτὸν. *id eſt*: adaperire, & noſce teipſum: *ut imbuaris ſapientiâ; unde fuſiùs Academice:*

Mantica poſterior tota exploretur ad unguem,
Atque tuos nævos juſtâ perpendito lance.

Unde ſapientiſſimè magnus quondam Alexander de ſapiente Academico dixit: Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. *hoc eſt:* ſapientem ego odi, qui ſibi ſapit nihil. *Verus autem Academicus nihil evidenter ſibi ſapit; quippe non ſcit evidenter, an ſibi ſit nihil, an Eccleſiæ fera, vel ſaltèm equus Caligulæ, ab ipſo conſul creatus Cajo; dicamus ergo comprimis ei:* Τίς γὰρ κατόπτρῳ καὶ τυφλῷ κοινωνία. *id eſt*: Luminibus orbato cum ſpeculo quid eſt rei? *de talibus ac tantis Philoſophis paræmia fuit antiqua Græcis:* clave ſcindunt ligna, & ſecuri fores aperire conantur. *Quocirca* oportet inprimis *(inquit eximius Triſmegiſtus)* ſi de Deo ſis locuturus, veſtem, quam circumfers, exuere, indumentum inſcitiæ, pravitatis fundamentum: ſenſitivum cadaver, mundi Hecatem, ſpiritum mundi, domeſticum furem, qui dum blanditur, odit, dum odit, invidet: quique aciem internorum ſenſuum hebetat, atque obtundit: ne audias unquam, neve percipias ea, quæ jure & audienda ſunt, & apprimè inſpicienda. *Neceſſe igitur inprimis eſt, ut Philoſophus omnis Chriſtianus, qui, ad incommutabilis ſapientiæ jam invitatus participium, ad divina*

Adilon. apud Ludovic. Granat. in Sylv. locor. comm. fol. 675. claſſe 3. verb. ſapient.

* *Chilo unus è 7. ſapientibus, & Triſmegiſtus in 1. ſermon. Pimand. ubi ſic:* ſi vis ad vitam aſcendere beatã, teipſũ animadverte.

Plutarch. in vita Alexandri.

Triſmeg. in ſerm. 7. Pimandri.

Digitized by Google

eſſentiæ ſtudet theoriam ope pervenire ſupernâ, veterum exuat hominem cum actibus ſuis, vitam deponat ſenſitivam, animam ignoret Mundi, ſpiritum, inquam, macrocoſmi cum vanis Academico-Pneumocoſmicorum dogmatibus ſeriò abjuret, & cum Paulo Apoſtolo, mundo crucifixo, fidele ipſi anathema dicat fideliſſimè. Quod ſi quis Philoſophus, divina tractaturus, facere contempſerit, ſal ſapientiæ evidenter non guſtabit in æternum: quippe ſine grano ſalis, ſcilicet ſine quidditate ſalvantis veritatis, & ſine exorciſmo ſpiritûs mundi, ſpiritualia ſenſualis, cæleſtia terrenus, munda immundus, & ſacroſancta leproſus auſus eſt ſiniſtrâ temerare cæcæ mentis ſuperbiâ, & leproſâ conſpurcare incredulæ temeritatis manu. Leproſi námque *(inquit appoſitè D. Auguſt.)* non abſurdè intelligi poſſunt, qui ſcientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim abſcondunt imperitiam ſuam, ſed pro ſumma peritia proferunt in lucem, & jactantiâ ſermonis oſtendunt. Nulla porrò falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat: vera ergo falſis intermixta in una diſputatione, vel narratione hominis, tanquam in unius hominis colore apparentia, ſignificant lepram, tanquam veris, falsisque colorum fucis humana corpora variantem, atque maculantem. Hi autem tam vitandi ſunt Eccleſiæ, & ſi fieri poteſt, longiùs removendi, quàm leproſi. Lepra ergo *(concludit Auguſtinus)* falſa eſt doctrina, quam bonus Præceptor abſtergit. *Priùs ergo, non ſolùm exorcizandi, ſed etiam mundandi venêre Pneumocoſmici, procul à veritatè diſtantes, ab atra virulentæ doctrinæ lepra, quàm ad pedes JESU Chriſti provolvantur contemplaturi veritatem. Ad vos itaq; Theodidacti Profeſſores, divini Theologi, ſermo meus dirigitur.*

D. Aug. lib. 2. quæſt. Evangelic. cap. 40.

Vos, qui virtutem colitis, vos ad mea tantùm
Dicta aures adhibetè, animósque intendite veſtros.
Contra, qui ſanctas leges contemnitis, hinc vos
Effugite, & procul hinc miſeri, procul ite prophani.

Orpheus in carm. de virtut.

Quam-

*Quamobrem, benigne Lector, futurus ego Nicephorus in nomine SS. Trinitatis, neq; indocilem Mochthum, cymbalum mundi à Tyberio Cæſare nuncupatum, neq; Ariſtophanes, neq; Ariſtarchos, neq; Æxones, neq; Agyrtas animantes alogas ad lecturam invito mearum lucubrationum, ſed veros tantùm Theophilos, ſynceros Philetimos, prudentiſſimos Theodidactos, Polydoros Philoſophos, & Theologos Polycarpos. Agnoſco equidem Apollinis lyram me nunquam tetigiſſe: cæterùm ad Cleanthis lucernam tuâ ſolius causâ laborioſiùs in hoc opere evigilavi. * Si igitur unquam, quod opto, per librum ad coronam, per templum virtutis ad templum honoris venias, hoſce meos acroamaſticos dialogiſmos, quos, præ oculis habens divinum illud præceptum,* qui me confeſſus fuerit coràm hominibus &c. *& unà Salomonis veram ſententiam*: argue ſapientem, & diliget te: da ſapienti occaſionem; & addetur ei ſapientia: doce juſtum, & adjiciet eruditionem: *non adverſus ſalvantem veritatem ſcripſerim, ſed pro veritate, ne contemnas. Vale, & æternùm ſalve.*

Nemo ad templum honoris niſi per templum virtutis apud Romanos venit.
Prover. c. 9.

I*Ndubitatæ veritatis manifeſtatio eſt authoritas univerſorum: & perfecta ratio eſt, ubi nemo diſſentit; unde, qui contra hoc ſentire nititur, hujus primâ ſtatim fronte non tam eſt audienda aſſertio, quàm damnanda perverſitas; quia præjudicium ſecum damnationis exhibuit, qui judicium univerſitatis impugnat: & audientiæ locum non habet, qui à cunctis ſtatuta convellit. Confirmatâ enim ſemel ab omnibus veritate, quicquid contra id venit, hoc ipſo ſtatim falſum eſſe dignoſcendum eſt, quòd à veritate diſſentit; ac per hoc ſufficere ei etiam id ſolùm convenit ad ſententiam damnationis, quòd diſcrepat à ſententia veritatis.* Caſſian. lib. de incarnat. cap. 6.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORUM.

EXorciſmus Spiritûs Mundi, *Anthore Admod. Reverendo ac Eximio P. Magiſtro Franciſco de Caſtillo Calderon, Ordinis S. Benedicti Strictioris Obſervantiæ, Concionatore Aulico & Capellano Sacræ Cæſ. Maieſtatis, nec non Regente ſtudij in Imperiali Monaſterio Sanctæ Mariæ de Monte ſerrato &c. accuratè perlegimus, & nihil in illo invenimus bonis moribus, aut ſana doctrina contrarium; ſed potiùs doctè ac ſolidè tam antiquorum ſententijs, quàm propriis rationibus Spiritum mundi ita expugnat, ut legentibus conſpicuè oſtendat, quantum Spiritus mundi lumini naturali ac ſupernaturali repugnet; unde opus, ità laborioſè concinnatum, publicâ luce dignum cenſemus. In cujus rei fidem propriâ manu ſubſcripſimus*

Datum in generali ſtudio Ordin. Prædicat. ad S. Ægidium Pragæ, die 14. Martij, Anno M. DC. LXXVII.

F. Albertus Muſſik Sac. Theol. Mag. & Studij Regens.
F. Franciſcus Smichæus Baccalaureus & Præſentatus.
F. Albertus Schellinger Magiſter ſtudentium.

FACULTAS ORDINARII.

UT liber, ſub titulo *Exorciſmus Spiritûs mundi*, compoſitus à Reverendo ac Eximio Patre Magiſtro Franciſco de Caſtillo Calderon Ordinis S. Benedicti Strictioris Obſervantiæ, Concionatore Aulico & Capellano Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, nec non Regente ſtudij in Monaſterio S. Mariæ de Monte ſerrato, & à Reverendis Ac Eximijs Patribus Ord. Prædicatorū ſtudij generalis ad S. Ægidium Veteτo Pragæ reſpectivè Regente, Baccalaureo Præſentato, & Magiſtro ſtudiorum, Alberto Muſſik, Franciſco Smichæo, & Alberto Schellinger, reviſus & approbatus, in publicam lucem prodeat, & imprimatur, facultas conceditur. Pragæ in Cancellaria Archi-Epiſcopali die 12. Julij, Anno M. DC. LXXVII.

(L. S.)

WENCESLAUS BILEK
à Bilenberg Officialis.

Digitized by Google

EXORCISMUS SPIRITUS MUNDI PHYSICO-THEOLOGICUS.

DIALOGISMUS I. DE MUNDO.

§. I.

Quotuplex exiſtit Mundus, Triſmegiſte?

H*Is ſic ſe habentibus* (reſpondit Triſmegiſtus) *ô Aſclepi, & vos, qui adeſtis, ſcitote, intelligibilem Mundum, & Deum, qui mentis ſolo obtutu dignoſcitur, eſſe incorporalem, nec ejus naturæ miſceri poſſe aliquid corporale, id eſt, quod poſſit quantitate, qualitate, numeriſq; dignoſci, in ipſo enim nihil tale conſiſtit. Hic ergo Mundus, qui dicitur ſenſibilis, receptaculum eſt omnium ſenſibilium qualitatum, & corporum, quæ omnia ſine Deo vegetari non poſſunt. omnia enim Deus, & à Deo omnia, & ejus voluntatis omnia.* Triſmegiſt. in Aſclepio. & paulò inferius: *Si totum animadvertas, ô Aſclepi, verâ ratione perdiſces, Mundum ipſum ſenſibilem, & quæ in ipſo ſunt, omnia à Superiori illo Mundo, quaſi ex veſtimento ejus, eſſe contexta. Unum quodq; enim genus cujúſq; animantis, vel mortalis, vel immortalis, vel rationalis, ſive ſit animans, ſive ſine anima ſit, prout cuiq; eſt genus, ſic ſingula ſui generis*

A ima-

imagines habent. & quamvis unumquodq; animalis genus omnem ſui generis poſſideat formam, in eadem tamen ſui formâ ſingula diſſimilia ſunt, ſpecies enim (id eſt, idea) quæ divina eſt, incorporalis eſt, & quidquid mente comprehenditur. Hæc Triſmegiſtus, à quo duplex recognoſcitur Mundus, alius incorporalis, qui & ſpecies, & idea, & Verbum Dei eſt, & corporalis alius, qui & ſenſibilis demonſtratur.

§. 2.

Nunquid intelligibilis Mundus ſecundum Triſmegiſtum eſt Verbum Dei, idearum idea?

Deciſio eſt affirmativa.

Triſmegiſt. in Sermon. 1. Pimandri.

HÆc percepi per Pimandri verbum (refert Triſmegiſtus) *qui me, ſtupore attonitum, ſic iterum affatus eſt: vidiſti in mente primam ſpeciem infinito imperio prævalentem? ejuſmodi quadam mihi, Pimander. At ego illi: Elementa naturæ unde manarunt? Pimander: ex voluntate Dei, quæ Verbum complexa, pulchrúmq; intuita Mundum, ad ejus exemplar reliqua ſui ipſius elementis, vitalibúsq; ſeminibus exornavit.* Hæc ille.

§. 3.

GLOSSA.

Joan. cap. 1.

QUid eſt ſpecies infinito imperio prævalens, niſi Verbum æterni Patris, de quo Joannes: *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil?* quid eſt pulcher ille mundus, niſi ipſum Verbum Dei, idearum incommutabilis atq; æterna idea? de quo idem Joannes: *omnia in ipſo vita erant*: Hanc veritatem dulci carminis modulamine Boëtius 3. de conſolat. Philoſophica expreſſit, dicens:

- - - Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilémq; in imagine formans.

Quid eſt, *verbum voluntas eſt complexa*, niſi quòd liberè omnino Deus decreverit, viſibilem creare Mundum juxta exemplarem, ſeu idealem perfectionem in Verbo ſuo divinâ effulgentem vitalitate?

Ac

Digitized by Google

Ac per conſequens, *omnia, quæcunq; voluit Deus, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Quid eſt, *pulchrumq; intuita Mundum*, niſi viſionis ſcientia, qua præſentia rerum in Mundo intelligibilis æternitatis liberè aſſeritur eſſe in determinata differentia temporis? Quid eſt *ad ejus exemplar reliqua ſui ipſius &c.* niſi noſtræ aſſertionis confirmatio? quid *elementis exornavit*, niſi creatio rerum ex materia informi, & ſubſequens in Univerſo diſcretio ſubſiſtentium elementorum? Quid *vitalibus ſeminibus, &c.* niſi illud divinum præceptum terræ intimatum: *germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram?* Gen. cap. 1. Cur *vitalibus*, & non viventibus, dixit Mercurius, exornatum fuiſſe mundum à DEO ſenſibilem? quia (reſpondemus pro ipſo) nullius agentis ſemen eſt ſubſtantia vivens, ſed tantùm vitalis, hoc eſt, in potentia, & in virtute formalis muneris, quod pro agente ſuo naturaliter ſubit. Cur Hermes Triſmegiſtus uſus eſt nominibus, quæ Deus dictavit Moyſi, v. g. genus, ſpecies, ſemen, &c. & Pneumocoſmici, tollentes de medio ſpecies rerum ſubſtantialium, & genera, ſemina illarum vocant ideas? quia ille Theologus divinus locutus eſt juxta veritatem Sacræ ſcripturæ, dicentis: *omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus.* Gen. c. 2. Seminibus autem nullum impoſuit nomen: ergo &c. ac proinde iſti analphabeti, divini ſermonis correctores & corruptores, incommutabile nomen divinæ ideæ caducis impoſuêre rerum ſeminibus, contra expreſſam mentem Sanctiſſimæ Triados.

Intelligibilis igitur Mundus ſecundum Triſmegiſtum Verbum eſt Dei, ſpecies expreſſa Patris, de quo Apoſtolus: *qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt univerſa, quæ in cælis ſunt, & quæ in terra, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſtant.* Coloſſ. 1. Unde concludit Apoſtolus: *fide credimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.* Hic eſt (exponit Gloſſa Hebræor. 11.) *Mundus inviſibilis, qui erat in Sapientia Dei, videlicet ejus diſpoſitio æterna, quâ in verbo ſuo diſpoſuit omnia.* Duplex ergo eſt mundus, unus cauſa, alter effectus: ille intelligibilis, incorporalis, & æternus, hic ſenſibilis, corporalis, & temporaneus. Videantur S. Auguſtinus

Digitized by Google

lib. 83. quæſt. q. 46. lib. 2. ſuper Genes. ad liter. & lib. 6. de Trinit. Philo Judæus in lib. Allegor. leg. & in libro, quòd *inſomnia ſunt à Deo.* Juſtin. Martyr. in exhort. ad Gentes. S. Clemens 5. ſtromat. S. Baſil. 1. exhameron. N. S. Rupertus lib de operibus Trinitatis. D. Thomas 1. p. quæſt. 15. Cicero. 1. Tuſcul. quæſt. Euſebius Cæſarienſis lib. 13. de præparat. Evangelica cap. 7. Seneca lib. 8. epiſtolar. epiſt. 66. & alij complures.

§. 4

Nunquid Ariſtoteles geminum admiſit Mundum?

Deciſio eſt affirmativa.

lib. ad Alexand. cap. 2. & 7.

Dicitur etiam (dictat Ariſtot.) *aliter mundus ordo, & digeſtio Univerſorum, quæ à Deo, & per Deum aſſervatur. Nulla verò natura ipſa per ſe ipſam ſufficiens eſt, hujus deſtituta ſalute. ac per conſequens ea, quæ in aëre fiunt quoquo modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, certè Dei opera eſſe meritò dixerimus. Dei inquam opera, cum imperio ſummo Mundum ac pro poteſtate obtinentis, à quo (ut inquit* Empedocles *Phyſicus*)

> *Omnia, quotquot erunt, quot ſunt præſentia, quótque*
> *Orta fuêre antehac ſtirpes, hominésque feræque.*
> *Inde etiam volucres, piſcésque humoris alumni,*
> *Longævique Dei, quorum eſt veneranda poteſtas.*

idẽ habet lib. 14. de Sapient. Ægypt. & lib. 6. n. 14. c. 8. & lib. 4. cap 4. & lib. 7. cap. 4. & lib. 12. divinor. text. 52. & lib 5. metaph. exemplaris cauſæ meminit.

Intellectum verò dico mundum ſupremum (proſequitur Ariſtoteles) *quia totus hic ad intellectum pertinet, quippè cum quo & à quo ipſi intellectus ſunt. Mundus enim qui in ſenſum cadit, imago eſt ejus, qui ſolâ mente percipitur. Quod igitur* (concludit Ariſtoteles lib. 7. Politic. c. 1.) *fœlicitatis tantum unicuique contingat, quantum virtutis atque prudentiæ, & quantum ſecundùm has operatur, confeſſum nobis exiſtat, teſte Deo utentibus, ac fretis, dicente, Deum fœlicem eſſe atque beatum, non per aliquod externorum, ſed per ſe ipſum, quia talis eſt ſecundum naturam.*

** Lege tranſlationem antiquã, & Joan. Argirop.*

§. 5.

§. 5.

In teſtimonium doctrinæ Ariſtotelicæ refertur gloſſa Doctoris Angelici.

SIc nobis conceſſum (exponit D. Thomas) & manifeſtum eſt invocantibus Deum in teſtem, qui beatus eſt ſimpliciter. attingit enim ad optimum ſuum, non propter aliquod extrinſecum ſibi, ſed propter ſeipſum: quoniam ſi fælicitaretur propter aliquod extrinſecum, cùm fælicitas ſit finis, haberet jam aliquem finem diviſum à ſe ipſo, & eſſet aliquid melius ipſo, (finis enim melior eſt eis, quæ ſunt ad finem) quod eſt nefas dicere. & ideo fœlix eſt propter ipſam naturam ſuam, ita ut fœlicitas ejus ſit ipſa natura ejus, differens ratione tantùm. ſi enim non eſſet ipſa natura ejus, ſed aliquid additum ei, ſequeretur in eo eſſe compoſitionem, & quod aliquid eſſet prius eo, quod eſſet principium compoſitionis, & aliquid melius eo, ſicut dictum eſt, quæ valde abſurda ſunt: & ideò fœlix eſt ſecundum naturam ſuam, & non per aliquid extrinſecum. Hæc D. Thomas. Lege Ariſtotelem text. 3. hujus lib. 7. ubi loquens de menſura præficienda civitati, ſic determinat: *Difficile námq; & forſan impoſſibile eſt, ut quæ nimiùm populoſa civitas eſt, optimè gubernetur. quare? quia, reſpondet Ariſtoteles, multitudo nimiùm magna non poteſt recipere ordinationem. Divina enim potentia id opus eſſet, quæ & hoc totum continet univerſum.* hæc Ariſtoteles.

D. Th. comment. in lib. 7. Politic. lect. 1.

Vide D. Thomam in comment. hujus text. lect. 1. lit. H.

§. 6.

Nunquid Mundus viſibilis eſt Deus?

VArro (ut refert S. Auguſtinus) *dixit, Deum ſe arbitrari eſſe animam Mundi, quem Græci vocant κόσμον, & hunc ipſum mundum eſſe Deum. addítq; hanc ſententiam multis Philoſophis placuiſſe,* dequibus nos infra.

D. Aug. lib. 7. de civit. Dei. cap. 6.

Deciſio Catholica.

VIſibilis mundus eſt à Deo creatus, ut conſtat ex primis elementis Sacræ Paginæ: non ergo Deus eſt viſibilis Mundus.

Genes. 1.

§. 7.
Quid D. Auguſtinus?

D. Aug. lib. 4. de civit. Dei cap. 12. & lib. de vera relig. c. 2.

SI Mundi animus Deus eſt (inquit S. Doctor) *eiq; animo Mundus, ut corpus eſt, ut ſit unum animal conſtans ex animo & corpore, atq; iſte Deus eſt, ſinu quodam naturæ in ſe ipſo continens omnia, ut ex ipſius anima, quâ vivificatur tota iſta moles, vita, atq; cunctorum viventium pro cujusq; naſcentis ſorte ſumantur, nihil omnino remanere poteſt, quod non ſit pars Dei. Quod ſi ita eſt, quis non videat, quanta impietas & irreligioſitas conſequatur, ut quod calcaverit quisq;, partem Dei calcet: & in omni animante occidendo, pars Dei trucidetur? Nolo omnia dicere, quæ poſſunt occurrere cogitantibus: dici autem ſine verecundia non poſſunt.* * *Si autem ſola animalia rationalia, ſicut homines, partes Dei, eſſe contendunt: non video quidem, ſi totus Mundus eſt Deus, quomodo beſtias ab ejus partibus ſeparent? ſed obluctari quid opus eſt? de ipſo rationali animante, id eſt, homine, quid infelicius credi poteſt, quàm Dei partem vapulare, cùm puer vapulat? jam verò partes Dei fieri laſcivas, iniquas, impias, atq; omnino damnabiles, quis ferre poſſit, niſi qui prorſus inſaniat?*

* eodem lib. c. 13.

§. 8.
Quinam Philoſophi dixerunt, Deum eſſe animam Mundi?

I.

INter antiquos primus communiter refertur Mercurius Triſmegiſtus, qui in 8. ſermone Pimandri hæc Poſteris ſcripta reliquit: *ſi ſecundus Deus eſt Mundus, nec non immortale vivens, impoſſibile eſt, immortalis animantis partem aliquam interire.*

Anti-Triſmegiſtus.

Triſmegiſt. in 5. Pimand.

I*Ta Deum exiſtere* (ſcripſit idem) *ſemper credas, ut niſi ſemper agat omnia, impoſſibile ſit eſſe, in cœlo videlicet, in aëre, in terra, in mari, in toto Mundo, in qualibet parte Mundi tota: tùm in eo, quod eſt, tùm in eo, quod non extat, &c.* atqui nulla forma informans agit in ma-

Digitized by Google

materiam, cum qua unum totum componit, ſed in aliud compoſitum realiter diſtinctum: Non igitur, Deus ſecundum Triſmegiſtum, Mundum hunc, ut forma, informat.

IDem in 2. parte Pimandri cap. 1. eadem confirmans, ait: *ſic iterum à te ipſo incipiens, meditare, atq; anima tua præcipito, quæ citiùs, quàm præcipias, evolabit. jubeto (inquam) ut tranſeat Oceanum: illa priùs, quàm juſſeris, ibi aderit, inde, ubi eſt, nequaquam diſcedens. jubeto iterum, ut in centrum volet, nullis pennis egebit: nihil ejus obſtabit curſui, non ſolis incendium, non ætheris amplitudo, non vertigo Cælorum, non ſyderum reliquorum corpora, quin, penetrans omnia, ad ſupremum corpus usq; tranſcendat. quin etiam ſi volueris globos omnes tranſire Cælorum, quodq́; ſuperius eſt, inveſtigare, id quoq; licebit. Adverte, quanta ſit animæ tuæ poteſtas, quanta celeritas. Tunc potes iſta, Deus ipſe non poſſit? hoc igitur pacto contemplare Deum, ut in ſe ipſo intelligentias omnes habentem, habentémq; ſeipſum, ceù Mundum penitus univerſum* (ſcilicet exemplarem) *hæc* Triſmegiſtus, qui in ſermone 4. in 2. parte Pimandri ſic concludit: * *ô vita, totum, quod eſt in me ſalva. ô lux, totum illumina, Spiritus DEUS. Verbum tuum mens, ſpiritifer opifex. Tu ſolus es Deus. Hujus Spiritûs omnia indigent, omnia enim portat ſecundum dignitatem, omnia vivificat, & nutrit, & à Sancto hoc fonte dependent omnia, omnibus Spiritibus, & viventibus auxiliator eſt ſemper. Spiritus ergo* (infert 2. in Aſclepio) *plena ſunt omnia, permiſtus cunctis cuncta vivificat.* Hæc ille magnus Philoſophus, Divinúsq; Theologus Triſmegiſtus. Cujus in mentem nunquam venit, quòd Deus ſit Mundus viſibilis, ſed in loco citato ſic argumentatur: ſi Mundus viſibilis ſit ſecundus Deus, immortalis eſt: ſi immortalis: nulla ergo pars poteſt interire: ſed interit, ut patet in tranſmutationibus naturalibus: non ergo Mundus viſibilis eſt ſecundus Deus: ergo multò minus eſt Deorum Deus primus & noviſſimus. Non ergo Deus verus ſecundum Triſmegiſtum eſt anima Mundi. Eapropter ejus verba intelligenda ſunt in eodem ſenſu, quo Catholici intelligunt illud Jeremiæ cap. 23. *Cælum & terram ego impleo.* & illud Sapient. 1. *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum, & hoc, quòd continet omnia, ſcientiam habet vocis.* & illud David Pſal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades, &c.*

in 2. p. Pimandri Cap. 1.

NB.

II. Se-

II.

SEcundus refertur Orpheus, cujus hoc circumfertur carmen:
Juppiter eſt idem Pluto, Sol, & Dyoniſius.
Ex quo infertur: ergo Deus eſt anima Mundi.

III.

TErtius Aratus (cujus meminit D. Paulus Actor. 17.) qui in Phænomenis ſic cecinit:

Ab Jove principium Muſa, Jovis omnia plena,
Quem reticere nefas: Jove cuncti utuntur, ab ipſo
Nos ſumus, ille facit vires, cunctiſq; miniſtrat.

Actor. 17. Unde Paulus: *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus.*

Intellectus.

COnſequentia deducta ex Carmine Orphei neganda eſt, & exponenda per Arati Carmina: hæc per Triſmegiſtum, qui in 2. parte Pimandri c. 1. de cauſalitate effectiva hæc pulcherrimè ediſſerit, dicens: *ſi quando influxum ſuum Deus ipſe ſubtraxerit, deficiente vitâ, in mortem corruent univerſa.* Triſmegiſtus intelligendus venit juxta illud Pauli: *in ipſo vivimus, &c.* Paulus conſentit Joanni, dicenti: *quidquid factum eſt, in ipſo vita erat.* Joannes Divino Pſalti: *avertente te faciem*, (hoc eſt, verbum vitæ, per quod facta ſunt omnia) *turbabuntur, auferes Spiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum convertentur.* Ex quibus conſtat, quàm divinitus locutus fuerit Triſmegiſtus, dicens: *deficiente vitâ, &c.* Deniq; Chriſtus Dominus eadem nos docuit, dicens: *Pater meus uſq; modo operatur, & ego operor*: concludit ergo: *ſine me nihil poteſtis facere.* Modò audiamus Orpheum ſe ipſum explicantem:

Orpheus in lib. de verbo ſacro.

O Rex, per te creverunt hæc omnia ſolùm,
Dive Parens, tellus, montanáq; flumina, fontes,
Æquoráq;, & quidquid complectitur altus Olympus.

Item:

in hymno ...

Omnia junxiſti: per te ſtant pondera Mundi,
Imperitáſq; tribus Parcis, atq; omnia gignis,
Quæ mare, quæ Cœlum latè terrámq; penetrant.

Digitized by Google

Atqui forma informans non eſt genitrix materiæ, quam informat: non ergo DEUS, qui omnia gignit, eſt forma informans Plutonis, Solis, aut Dionyſij, ac per conſequens nec Mundi &c. indiſcretè ergo, atque ignoranter citantur Triſmegiſtus & Orpheus pro Deitate Mundi informatrice. Demum accipe ultima ipſius carmina, in quibus dicit: Mundum eſſe veſtigium Deitatis, non verò corpus, ac proinde ſolùm videri à nobis veſtigia Deitatis, ſed non Deitatem ipſam:

Hîc etenim video ipſius veſtigia, fortem
Hîcq; manum video, verùm ipſum cernere, quis ſit,
Nequaquam valeo, nam nubibus inſidet altis.
Qui capitur mente tantùm, qui mente videtur.

IV.

QVartus Manilius in Aſtronomicis ad Auguſtum, qui ſic canit:

Hoc opus immenſi contractum corpore mundi,
Membráq; natura diverſa condita forma,
Aëris atq; ignis, terra, Pelagíq; jacentis.
Vis anima divina regit, ſacróq; meatu
Conſpirat DEUS, & tacitâ ratione gubernat.
Et multa in cunctas diſpenſat fœdera partes.

§.

QVi Manilium non capit, capiat S. Dionyſium lib. de Divinis Nomin: ſic dicentem: *Divina Poteſtas intellectuales Angelicarum unitatum vitas conſervat inviolabiles. Calorum & luminum, & Syderum ſubſtantias, & ordines efficit immutabiles. Author eſt æternitatis & temporis. Temporales quoq; circuitus progreſſionibus quidem diſtingvit, reſtitutionibus verò colligit. Vires ignis reddit inextingvibiles, & aquarum fluenta perennia. Aëriam quoq; fuſionem terminat, & ſuper nihil firmat terram. Vivificos terræ partus cuſtodit incorruptibiles, mutuam elementorum harmoniam, miſturámq; confuſam, atq; individuam ſervat. Animæ præterea corporiſque nexum continet. Vires arborum, quibus nutriantur, & creſcant, movet, & ſuſcitat. Eſſentiales denique vires omnium roborat, univerſum conſervat indiſſolu-*

S. Dionyſ. lib. de divin. nom.

Digitized by Google

tum, Deificum largitur munus, dum his, qui divini redduntur, ad hoc ipſum ſuppeditat facultatem. Ad hæc dulcis audiatur Orpheus:

Apollin. hymnus & in hym. Saturni.

Tu mundi terminos habes univerſi,
Tibi cura eſt principium & finis,
Tu Sphæram totam cytharâ reſonante contemperas,
Qui omnes Mundi partes habitas, generationis particeps.

Orpheo, atque Manilio ſuccinit latinus Poëta dicens:

Æneid. 6.

Spiritus intus alit, totámq; infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Et alibi:

Terras, tractúsque maris, cælúmque profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem accerſere vitam.

V.

QUintus Lucanus, qui 8. Pharſaliæ ſic cecinit:

Nil Dei Sedes, niſi tellus, pontus, & aër,
Et Cælum, & virtus, Superos quid quærimus ultra?
Juppiter eſt, quodcunque vides, quodcunque movetur.

VI.

SExtus Alexander Meliſſius Pythagoricus, qui de DEO ſic locutus eſt: *ille animus, qui Jupiter* (id eſt, DEUS ſummus) *dicitur, viget, atque implet omnia, & Cælum quaſi Cytharam quandam exagitans, cæleſtem efficit harmoniam.* Quidquid ſit de mente Lucani, (quem, uti nugacem Poëtam, nihili facimus) Meliſſium explicandum fore juxta Triſmegiſti doctrinam propugnamus. Sed de hoc redibit ſermo infra in 2. Dialogismo Theologico.

§. 9.

Nunquid admittendus geminus Mundus, ut ſenſit Plato?

lib. 3. cont. Academ. cap. 17.

SAt eſt ad id, quòd volo (ait Sanctus Auguſt.) *Platonem ſenſiſſe duos eſſe mundos, unum intelligibilem, in quo ipſa veritas habitaret: iſtum autem ſenſibilem, quem, manifeſtum eſt, nos viſu, tactúque ſentire;*

tire; itaq; illum verum, hunc veriſimilem, & ad illius imaginem factum. Intelligibilem Mundum (proſequitur S. Doctor) *Plato nuncupavit ipſam rationem ſempiternam, atque incommutabilem, qua fecit DEUS mundum. Quam qui eſſe negat, ſequitur, ut dicat, irrationabiliter DEUM feciſſe, quod fecit, aut cùm faceret, vel antequam faceret, neſciſſe quid faceret, ſi apud eum ratio faciendi non erat. ſi verò erat, ſicut erat, ipſam videtur Plato vocâſſe intelligibilem mundum.* *libro 1. retrac.*

§. 10.

Nunquid viſibilis mundus vivit?

Reſp. Negat.

U*Trum univerſa iſta corporis moles,* (proponit Sanctus Auguſtinus) *quæ mundus appellatur, habeat quandam animam, vel quaſi animam ſuam; id eſt, rationalem vitam, qua ita regatur, ſicut unumquodq; animal, magna atque abdita quæſtio eſt. Nec affirmari debet iſta opinio, niſi comperto, quòd vera ſit: nec refelli, niſi comperto, quòd falſa ſit. quid autem hoc ad homines, etiamſi ſemper eos lateat.* *lib. 1. confeſſ. c. 23.* *Plato* (refert 1. S. Auguſt.) *animam Jovis ab intimo terræ medio, quod Geometræ centrum vocant, per omnes partes ejus, uſque ad Cœli ſumma, & extrema diffundi, & extendi per numeros muſicos opinatur, ut ſit iſte mundus animal maximum, beatiſſimum, ſempiternum, cujus anima & perfectam Sapientiæ fœlicitatem teneret, & corpus proprium non relinqueret, cujúsq; corpus & in æternum ex illa viveret, & eam, quamvis non ſimplex, ſed tot corporibus, tantisque compactum, hebetare, atque tardare non poſſet.* *lib 13. de civ. Dei. cap. 17.* *Animal eſſe* (refert 2. S. Doctor) *iſtum mundum, ſicut Plato ſenſit, aliique Philoſophi quàm plurimi, nec ratione certâ indagare potui, nec divinarum ſcripturarũ authoritate perſuaderi poſſe cognovi. Unde tale aliquid à me dictum, quod accipi poſſit, etiam in libro de immortalitate animæ cap. 15. temerè dictum notavi. Non quia hoc falſum eſſe confirmo, ſed quia nec verum eſſe comprehendo, quòd ſit animal mundus. Hoc ſanè inconcuſſè retinendum eſſe non dubito, DEUM nobis non eſſe iſtum mundum; ſive anima ejus ulla, ſive nulla ſit. quia ſi ulla eſt, ille, qui illam fecit, eſt DEUS noſter; ſi autem nulla eſt, nullorum Deus poteſt eſſe iſte,* *lib. 1. retract.* *lib. 1. retract. c. 5.*

 quan-

Digitized by Google

quantò minus Deus noſter. Videatur S. Doctor ſermon. 143. ubi loquens ad Philoſophos, ſic concludit: *Veſtros libros lego: mundum iſtum animal dicitis, habere animam ſuam, ſed ſenſus corporis non habere, quia extrinſecùs nihil eſt, quod ſentire poſſit, habere tamen intellectum, hærere Deo, & ipſam animam mundi vocari Jovem, vel vocari Hecatem, id eſt, quaſi animam univerſalem, mundum regentem, & unumquodque animal facientem. Quid eſt, quod dicis Porphyri, corpus eſt omne fugiendum? occide mundum. Tu dicis, ut fugiam de carne mea, fugiat Jupiter tuus de Cœlo & terra.*

Nunquid ſecundùm Triſmegiſtum mundus viſibilis eſt animatus?

Reſp. negat.

OBIECTIO I.

OBjicies I. Nobis Triſmegiſtum in 8. ſerm. Pimand. inquientem: *Si ſecundus Deus eſt mundus, nec non immortale vivens, impoſibile eſt, immortalis animantis partem aliquam interire:* ergo Mundus ſecundùm Triſmegiſtum eſt animatus.

SATISFACTIO.

REſpondemus, quòd Triſmegiſtus non aſſeruit, mundum eſſe animatum, ſed conditionatè tantùm locutus eſt, ut conſtat ex illa particula ſubjunctiva: *ſi ſecundus Deus &c.* unde nihil contra nos.

OBIECTIO II.

OBjicies II. eundem Triſmegiſtum cap. 9. Pimand: ſic colloquentem: mundus, ô Æſculapi, ſenſum, motúmque poſſidet, non humano ſenſui, motuíque conſimilem: ſed potentiorem ſanè, atque admodum ſimpliciorem; ergo &c.

SATISFACTIO.

COmprimìs reſpondemus, Triſmegiſtum locutum fuiſſe de Archetypo mundo, quem jam diximus cum S. Auguſtino ex Platone aliud eſſe nihil, quàm rationem idealem, & incommutabilem, quam qui eſſe negat, ſequitur, ut dicat, irrationabiliter De-

Digitized by Google

Deum feciſſe, quod fecit. Secundò, admiſſo teſtimonio, negamus legitimè illegitimam conſequentiam, eò quòd Triſmegiſtus non dixit: mundus ſenſum, & motum efficit, vel cauſat, ſed tantùm poſſidet, quod eſt valde diverſum. Poſſidere námque motum, non munus agentis, ſed mobilis proprium eſt, ut ex dictis conſtat, & ad ſenſum prætereà patet: ac proinde infertur illegitimè hæc conſequentia: mundus poſſidet motum: ergo animatus eſt intrinſecè mundus. Legitima enim conſequentia hæc eſt: ergo motus mundi ab alio eſt, ſcilicet ab intelligentia, ut patet in motu cœlorum, ergo &c. Quòd autem hæc ſit Mercuriana mens, haud obſcurè colligitur ex diſſimilitudine motûs, quam aſſignat prædictus Author, inter motum mundi, & humanum, dicens: potentiorem ſanè, atq; ad modum ſimpliciorem. Unde ſimpliciorem? quia (reſpondemus ex jam dictis cum ipſo) *verbum tuum mens, Spiritifer opifex.* Sapientiſſimè. Ideo ergo ſimplicior, quia intelligibilis & vitalis, imò vita per eſſentiam eſt moventis Dei motus.

OBIECTIO III.

DIces: Triſmegiſtus ſerm. 10. Pimand. ſubdubitat ſic: *Num in his, quæ generatim diximus, audiſti, quemadmodum ab una mundi totius anima univerſæ profluunt animæ, per omnem mundum, tanquam diſtributæ, circumcurrentes.* ergo hactenus dicta ruunt.

SATISFACTIO TRISMEGISTI.

*SI totum, ô Aſclepi, animadvertis, verâ ratione perdiſces, mundum ipſum ſenſibilem, & quæ in eo ſunt, omnia à Superiori illo mundo, quaſi ex veſtimento ejus eſſe contexta. Unumquodq; enim genus animalium, ô Aſclepi, cujuſcunq; vel mortalis, vel immortalis, vel rationalis, ſive ſit animans, * ſive ſine anima ſit, prout cuiq; eſt genus, ſic ſingula ſui generis imaginem habent. hic ergo mundus, qui dicitur ſenſibilis, receptaculum eſt omnium ſenſibilium ſpecierum, qualitatum, vel corporum, quæ omnia ſine Deo vegetari non poſſunt. Omnia enim à* DEO, *& voluntatis ejus omnia.* hæc Triſmegiſtus in Aſclep: de cujus mente jam non decet dubitare, ſed cum Auguſtino dicere: *Sat eſt ad id, quod volo &c.* de hoc iterum erit ſermo ad quæſt. 15. de ideis.

in Aſclep.

NB.

§. 11.
Quid Plato de anima Mundi?

Plato in Timæo.

DEUS (inquit eximius Philoſophus) *univerſi animam, antiquiorem mundô, genuit: idq; molitus eſt tali quodam modo ex ſubſtantia, quæ individua eſt, & quæ ſemper unius modi, ſuiq; ſimilis manet; & ex dividua, quæ circa corpora gignitur, tertium naturæ genus admiſcuit, &c.* & ibidem: *Mundi Opifex in Mundi conſtitutione exemplar imitatus eſt ſempiternum. cùm enim mundus genitorum omnium pulcherrimus ſit, & ejus Author cauſarum omnium optimus, dubium non eſt, quin Opifex ſempiternum ſit ſecutus exemplum.* hæc Plato.

§. 12.
Quid Diſcipuli?

CAlcidius Platonicus ſuper Timæum ſtatuit, per animam mundi intelligendum id fore, quod Chriſtiani Spiritum Sanctum appellant. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus contra Julian. Platonem ſic interpretatur: *unus enim eſt univerſorum Deus, dilatatur autem, quantum de eo ſcitur, in Sanctam & conſubſtantialem Trinitatem, in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quem & animam mundi dicit Plato.* Plotinus Platonicus ſuper Timæum hæc ſcripſit: *Primo loco, eſt bonum, ſecundo, boni filius intellectus*, (hic eſt prima anima, quam Deus antiquiorem mundo genuit, juxta illud: *ab initio, & ante ſæcula creata ſunt*) *tertio verò, mundi ſecunda anima*, de qua Virg. 6. Æneid. *Spiritus intùs alit*: unde ſequitur: & ex dividua ſubſtantia, ſcilicet materia prima, quæ generationibus ſubſtantialibus ſubjacet, *tertium naturæ genus admiſcuit, &c.* Hinc ortum habuit, ut in veteri Ethnicorum Theologia Pater ſummum bonum, filius mens & Opifex, Spiritus verò anima mundi nuncupetur; juxta illud Triſmegiſti: *ô lux, totum illumina, Spiritus Deus: Verbum tuum mens, ſpiritifer opifex, tu ſolus Deus.* Ex quibus ſequitur, quòd divinus Spiritus anima mundi dicitur, non quòd ſit forma informans (quia hoc repugnat) ſed quia ab eo omnia foventur, & procreantur, juxta illud Davidicum. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* In hoc deniq; ſenſu affirmat

Eccleſ. 24.

Sim-

Digitized by Google

Simplicius, intellectum iri Caldæorum oraculum, quod & ipſemet vidit, & ſuis libris dignum cenſuit, quod quidem ſic ſonat:

* Lucem omnino, ignemq; animans, atq; æthera mundos,

§. 13.

Nunquid ex Sacra Pagina poteſt oſtendi, quòd elementaris Mundus vitam non habeat?

Reſp. affirmat.

I. TESTIMONIUM.

DIxit Deus, ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna fructifera, quæ habent in ſemetipſis ſemen, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis beſtijs terræ, omníq; volucri cæli, & univerſis, quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, omnem virorem herbæ, ut habeant ad veſcendum. *Geneſ. c. 1.*

APODIXIS I.

UNiverſis, in quibus eſt anima vivens, dedit Deus congruentem eſcam: Mundus ergo elementaris, ſeu quatuor elementa non vivunt, ſiquidem nulla eſt eſca eis à Deo conceſſa. Antecedens eſt de fide: conſequentia patet, eò quòd ſit contradictorium, univerſis, in quibus eſt anima vivens, dare, & quatuor partibus præcipuis univerſi eſcam denegare: ergo, &c.

II. TESTIMONIUM.

PRoducat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas: factúmq; eſt ita, & fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta, & omne reptile in genere ſuo.

APODIXIS II.

INter terminum realiter productum in creatis (ſive ſubſtantialem, ſive accidentalem) & principium producens neceſſariò intercedit diſtinctio realis, Phyſica, entitativa, & oculata: atqui anima *Pluralitas formarum ſubſtantialium demonſtratur.*

Digitized by Google

ma vivens eſt terminus ſubſtantialis (& nullo modo accidentalis,) à terra, divinâ juſſione, productus realiter (idem dicendum de omnium beſtiarum animabus) anima ergo vivens, realiter producta, eſt ſubſtantia phyſica, realiter entitativè diſtincta à terra producente. Major ad ſenſum patet, minor eſt de fide. conſequentia in optima eſt figura. non ergo unica eſt anima in toto mundo. ergo &c.

III.

Generatio ſubſtantialis oſtenditur.

TErra, quæ producit, non eſt materia nudè ſumpta, utpote impotens ad ſubeundum munus cauſæ efficientis, ob ſuam patibilem conditionem: terra ergo, quæ de mandato Dei, animam viventem produxit, fuit formâ ſubſtantiali informata intrinſecè. Antecedens eſt per ſe notum, & conſequentia evidens. Anima ergo, producta realiter, diſtinguitur realiter, & entitativè, à forma terræ, à qua fuit producta realiter. hæc conſequentia Sole eſt clarior. Non ergo anima vivens, producta, eſt forma informans terram producentem intrinſecè conſtitutivè. Hæc conſequentia ex dictis legitimè infertur, tam ratione formæ, quàm materiæ. Admittenda ergo eſt generatio ſubſtantialis formarum: hæc conſequentia (præterquam quòd conſtat ex ipſa ſacra pagina, nimirum ex illo Geneſ. 2. *iſta ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt, &c.*) ex dictis deducitur: & conſequenter earundem formarum quoad ſubſtantiam corruptio, quod etiam conſtat ex cap. 7. Geneſ. *conſumptáq; eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniúmq; reptilium, quæ reptant ſuper terram. univerſi homines, & cuncta, in quibus Spiritus vitæ eſt, in terra mortua ſunt: & delevit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram.* ergo &c.

IV.

CUncta, *in quibus erat Spiritus vitæ* (præter Noam, uxorem, & filios, & animalia, quæ cum ipſo fuerunt in arca) mortua ſunt, & quoad ſubſtantiam deleta: ergo neceſſariò admittenda venit corruptio formarū ſubſtantialium. Antecedens eſt de fide: conſequentia legitimè infertur, & tandē probatur. Materia prima non eſt eſſentialiter vita: ergo mori non poteſt: ergo non fuit deleta quoad ſubſtantiam. Utraq; conſequentia eſt clara. Atquì in diluvio contigit mors quoad ſubſtantiam; nam *delevit omnem ſubſtantiam*: ergo mors non fuit

Digitized by Google

fuit accidentalium principiorum per ſe primò, ſed ad ſummum ex conſequenti. ergo formæ ſubſtantiales viventium interière abſolutè, ita ut in nihilum redactæ fuerint, quatenus tranſierunt de eſſe, ad non eſſe privativè ſumptum. ergo neganda non eſt formarum ſubſtantialium generatio, & corruptio. utráq; conſequentia optima eſt. Mundus ergo viſibilis & elementaris non vivit, quandoquidem mortuus non eſt, quando *cuncta, in quibus erat ſpiraculum vitæ*, mortua ſunt, & deleta *quoad ſubſtantiam*. hæc conſequentia non indiget ulteriori probatione, ſed Catholicâ conſideratione, & intellectu metaphyſico.

V.

ADmiſsâ generatione, & corruptione ſubſtantiali formarum, implicat, quòd viſibilis Mundus unicâ potiatur formâ ſubſtantiali vitali, quæ Spiritus Mundi ab antiquis vocitatur: atqui admittendam eſſe generationem ſubſtantialem cum ſubſequenti corruptione, ex allegatis conſtat teſtimonijs: implicat ergo Spiritus Mundi unicus & indiviſibilis. ergo &c.

VI.

DEUS creavit (hoc eſt produxit) omnem animam viventem, atq; motabilem: ſed unica anima non eſt omnis anima vivens: ergo, gratis dato, ſed non conceſſo, quòd mundus elementaris eſſet vitâ Spiritûs donatus, nondum ſequeretur, unicam eſſe animam in omni compoſito ſentiente. ergo &c.

VII.

IMplicat, ultimâ inſpectâ potentiâ Dei, quòd id, quod eſt ſecundùm rationem idealem, ſeu ſecundùm ideam Dei, & ſimul ſecundùm veritatem eſſentiæ creatæ, adæquatè ſumptam, realiter indiviſibile, & immultiplicabile, ſicutì eſt, exemp. causâ. A. dividatur phyſicè, & entitativè in plures portiunculas numero ſubſtantivo, vel ſpecifico, diſtinctas. atqui Spiritus Mundi, qui, ſecundùm nonnullos gregarios Philoſophaſtros, dementiæ antiquorum uſq; ad amentiam facundos, atq; fœcundos Philoſophos, ineſſet mundo elementari, profectò eſſet ſecundùm idealem rationem in Deo exiſtentem, & ſubſiſtendi conſequentiâ etiam ſecundùm rea-

lem veritatem, ad extra productam, ipſiuſmet Spiritûs, realiter phyſicè impartibilis in plures ſpiritus, ſeu in plures animas ſpecie, & numero ſubſtantivo realiter diſtinctas; ergo Spiritus Mundi, ſi de facto exiſtit, defacto eſt implurificabilis phyſicè. Major, etſi nota bonis Metaphyſicis, ſic oſtenditur: poſſibilitas creaturarum, & apprimè idea adæquata uniuſcujúsq;, eſt indeſtruibilis, & conſequenter invariabilis (eſt enim ratio idealis, ſeu idea uniuſcujúsq; eſſentiæ creabilis, prædicatum in Deo omnino neceſſarium, ac proinde anteverteus omne decretum liberum Dei: idem dicendum de poſſibilitate paſſiva & activâ radicali rerum ad extra producibilium) ſi ergo idea Spiritûs Mundi repræſentat illum, ut eſſentiam indiviſibilem, nulla manet in Deo potentia, ut illum diviſibilem pro ſuo libitu faciat. conſequentia hæc patet, quia aliàs Deus ut liber eſt, poſſet ſeipſum in eſſentialibus prædicatis immutare. Spiritus ergo Mundi, qui ſecundùm eſſentiam ſuam realiter indiviſibilis eſt, à Deo in plures ſecari partes divinitùs non poterit. Minor vetuſtum eſt Thema antiquorum Pneumocoſmicorum, ut ex dictis conſtat. conſequentia liquet. Atquì ex ſacra ſcriptura non conſtat, quòd Deus unicam animam mundi (quæ nulla eſt) creârit: ſed econtrariò, expreſsè ponitur, quòd Deus omnem animam viventem, intra terminos ſubſtantiæ pluralitatem Phyſicam præſeferentem, multiplicavit, dicens: *creſcite, & multiplicamini* (nimirum, viâ naturalis generationis, juxta illud: *ingredimini ſuper terram, & implete eam*) ergo contra ſacram ſcripturam aſſeritur Spiritus Mundi indiviſibilis, & negatur pluralitas formarum ſubſtantialium, ergo &c.

Geneſ. cap. 9.

VIII.

Gen. 1.

F*Ormavit Dominus DEUS hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*: ergo limus de quo formatus eſt homo, realiter non poſſidebat Spiritum vitæ. conſequentia patet, quia aliàs ſuperfluiſſet illa divina inſpiratio; ſuperflua autem non fuit, quippe effectiva vitæ humanæ: ergo &c.

IX.

Geneſ. 1.

HOmo eſt ad imaginem Dei factus, juxta illud: * *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; & illud: * *ad ima-*

imaginem quippe Dei factus eſt homo. aſt non eſt homo ad imaginem Dei ſecundùm materiam primam, nec ſecundùm corpus de prædicamento ſubſtantiæ, nec ſecundùm quantitatem, ſeu corpus Mathematicum, nec ſecundùm aliquod accidens prædicamentale, nec tandem Secundùm formam ſentientem, quia aliàs quilibet vermiculus, imò ipſa terra reduplicativè ut talis, eſſet ad imaginem Dei, quandoquidem omnibus prædicatis recenſitis conſtat: & conſequenter utrúmq; eſſet æqualis nobilitatis & perfectionis cum homine, quod eſt omnino falſum: ergo eſt ad imaginem Dei ſecundùm animam rationalem. Tunc ſic: terra non produxit ſpiraculum vitæ humanæ, ſed Deus ſolus illud inſufflavit, ut ex contextu patet: ergo homo, non ſolùm ùt rationalis, conſtituitur per formam diſtinctam phyſicè, intra terminos ſubſtantiales, à Spiritu Mundi (diſputationis gratiâ admiſſo, quòd detur) ſed etiam, ut ſenſitivus, & vegetativus, realiter in ſua ſpecie phyſica diſtinctus. Antecedens eſt certum ſecundùm fidem: & conſequentia multifariàm probatur, nunc autem ſufficiat iſta probatio: Deus non inſufflavit ſpiracula vitarum in faciem hominis in plurali, nec factus eſt homo in animas viventes, ſed ſpiraculum vitæ in ſingulari, & factus eſt homo in animam viventem: atquì hujus ſpiraculi vitæ in ſingulari non eſt efficiens cauſa, neq; principium ex quo eductionis, terra, ſed ſolus Deus: unica ergo eſt anima in homine: ergo non ſolùm ut rationalis conſtituitur per formam realiter diſtinctam ab Spiritu Mundi (ſi datur) realiter homo diſtinctus, ſed etiam ut ſenſitivus, &c. ergo &c.

X.

IN principio creavit Deus Cœlum & terram: ſed Scriptura non dicit: creavit Cælum vivum, & terram viventem: ergo contra intentionem Sacræ Scripturæ aſſeritur Cœlum vivum, & terra vivens. idem dicendum de Luce, Sole, Luna, & aſtris. ergo &c. *Geneſ. c. 1.*

X I.

OMnes ſtultiſſimi & infelices pluſquam animæ infantis ſunt inimici populi tui, & imperantes illi, quoniam omnia idola Nationum Deos æſtimaverunt, quibus nec oculorum viſus eſt ad videndum, nec nares ad percipiendum Spiritum: neq; aures ad audiendum, neq; digiti ma- *Sap. cap. 15.*

Digitized by Google

manuum ad tractandum, ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum, homo enim fecit eos: & qui Spiritum mutuatus eſt, is finxit illos. cum enim ſit mortalis, mortuum finget manibus iniquis. Melior eſt enim ipſe his, quos colit. quia ipſe quidem vixit, illi autem nunquam. Ex quibus ſic ratiocinari licet.

I.

QUi mutuatus eſt Spiritum vitæ, non præhabebat in ſe Spiritum mutuò conceſſum: ſed homo, id eſt, humus, ſeu limus, mutuatus eſt à Deo Spiritum vitæ juxta illud: *& inſpiravit in faciem ejus &c.* ergo terra non eſt ſubſtantia vivens, & conſequenter nec macrocoſmus.

I I.

MElior eſt ſtatuarius, qui argenteum idolum formavit, quàm ipſum idolum. Quare? quia ſtatuarius eſt ſubſtantia vivens juxta illud, *quia ipſe quidem vixit: illud autem nunquam*: ergo argentum non eſt ſubſtantia vivens. conſequentia eſt manifeſta, nam aliàs contraria propoſitio ſemper erit vera, ſcilicet, argentum vivit, ſive ſit in viſceribus terræ, ſive in conflatorio, ſive in ſtatua, & conſequenter comparatio erit ſimilitudinis, ſcilicet inter viventia duo: ſed dicit, quòd *nunquam vixit*: ergo eſt diſſimilitudinis: ergo quia argentum idoli non vivit &c. quod ſatis confirmatur verbis illis: *cùm ſit mortalis mortuum fingit manibus iniquis.* ergo &c.

X I I.

Baruch. cap. 6.

NB.

C*Orda eorùm* (inquit Baruch Propheta, videlicet Deorum Gentium) *dicunt elingere ſerpentes, qui de terra ſunt, dum comedunt eos, & non * ſentiunt. Aurum etiam, quod habent, ad ſpeciem eſt, neq; enim, dum conflarentur, * ſentiebant, & ex omni pretio empta ſunt, ex quibus * Spiritus non eſt in ipſis.* Ecce Prophetam, bis abſolutè negantem ſpiritum vitæ ſenſitivæ auro, argento, Lapidi &c. ex quibus Gentium idola conflabantur. Unde ille ex eo, quòd aurum, argentum &c. in conflatorio non ſentiebat ignis ardorem, & quando comedebantur à ſerpentibus, non ſentiebant, infert ſanctiſſimè: ergò *Spiritus vitæ*, maximè ſenſitivæ, non eſt in illis. quod non reliquit ſine confirmatione Divinus Propheta: Nam ſi interrogetur,

Digitized by Google

tur, quare non ſentiebant? Reſpondit: quòd ex omni pretio (hoc eſt, ex omni materia valde pretioſa, qualis eſt argentea, aurea &c) empta ſunt, & tandem conflata ſunt in idolum: ac proinde, *Spiritus vitæ non eſt in ipſis*. ergo &c.

XIII.

ibidem.

Lapidibus de monte (proſequitur ibidem Propheta) *ſimiles ſunt Dij eorum lignei, & lapidei, & aurei, & argentei. Quomodo ergo æſtimandum eſt, illos eſſe Deos? * Quaſi poſſent ſentire, qui non habent motum? Senſum enim non habent ipſi Dij illorum.* hucuſq; Divinum Oraculum: ex quo inprimis Conſtat, quàm divina conſequentia ſit hæc in ore Ariſtotelis: ſubſtantia hæc, exemp. gr. Lapis, non movetur à ſe, neq; in ſe: ergo non vivit. Quaſi verò (dictat Spiritus Sanctus) *poſſint ſentire, qui motum non habent?* ſubaudi, à ſe elicitum; gravia namq; & Levia non à ſe, & ab intrinſeco, ſed ab alio, & ab extrinſeco, ſcilicet generante, moventur. Secundò liquet, quòd hæc conſequentia: Subſtantia A. v. g. non movetur: ergo non ſentit, eſt innegabilis; quippe fundata in veritate connexionis Phyſicæ effectûs cum ſua cauſa; valet enim: hæc ſubſtantia A, nunquam fuit alicujus cauſæ effectus; ergo nulla ejus extitit cauſa. Maneat ergo ſtabilitum in Schola Peripatetica, quòd ſubſtantia, quæ nec localiter movetur à ſe, nec motu nutritionis intrinſecæ augeſcit vitaliter, nullo modo vivit. Atquì aurum non movetur à ſe localiter, ut patet ad ſenſum, neq; in terra creſcit motu nutritionis vitalis, & intrinſecæ, ſed eſt mera terra virtute Solis, divino adjutâ concurſu generali, & elementorum unà contrarietate, concreta, in duriſſimámq; quantitatis molem conſequenter per converſionem conflata: Non ergo aurum vivit, neq; lapis in monte &c. ac per conſequens, Spiritus Mundi elementaris idolum eſt: unde & nihil eſt.

XIV.

Non ſuffecerat eos erraſſe (clamat Sapiens) *circa Dei ſcientiam, ſed & in magno viventes inſcientiæ bello, tot, & tam magna mala pacem appellant. aut enim, dum lætantur, inſaniunt: aut certè vaticinantur falſa, aut vivunt injuſtè, aut pejerant citò. Dum enim confidunt in idolis, * quæ ſine anima ſunt, malè jurantes, noceri ſibi non ſperant.* Sap. cap. 14. NB.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EM...

APODIXIS.

SI argentum, ex quo conſtat idolum, Spiritu Mundi, ſeu animâ mundi animatum eſt, ſine anima idolum nullum eſt: ſed idola ſecundùm Sapientem ſine anima ſunt: ergo anima mundi nulla eſt: ergo quicunq; illã aſſerit, Sacræ contradicit Scripturæ. ergo &c.

Ex allegatis igitur Sacræ Scripturæ teſtimonijs, à nobis utcunq; oſtenſum eſt, Spiritum Mundi nullum eſſe.

OBIECTIO.

DIces: D. Aug lib. 1. de conſens. Evangel. cap. 23. proponit ſic: *utrum univerſa iſta corporu moles, quæ mundus appellatur, habeat quandam animam, vel quaſi animam ſuam, id eſt, rationalem vitam, qua ita regatur, ſicut unumquodq; animal, magna, abditáq; quæſtio eſt. Nec affirmari debet iſta opinio, niſi comperto, quòd vera ſit; nec refelli, niſi comperto, quòd falſa ſit.* ergo S. Auguſtinus nec ab authoritate, neq; à ratione convictus fuit ad alterutram partem dubij definiendam: unde dubius pro utraq; parte, dubium ſub dubio ſine dubio reliquit. quare ergo nos aſſertivè tenemus ex Sacra conſtare Scriptura, & maximè, cùm Maximus Eccleſiæ Doctor lib. 1. retract. cap. 11. dicat: *Animal eſſe hunc mundum, ſicut Plato ſenſit, aliíq; Philoſophi quàm plurimi, nec ratione certâ indagare potui, nec Divinarum Scripturarum authoritate perſuaderi poſſe cognovi.*

SATISFACTIO AD HOMINEM.

Vide Bannez, in 1. p. D. Thom. comment. ſuper q. 24. a. 2 & a. 1. q 75. & Aug. lib 4. conf. c. 15. &c.

SAnctus Aug. in lib. de quant. animæ cap. 32. non fuit auſus expreſsè hoc definire dubium, ſcilicet, an anima rationalis multiplicetur ſecundùm multiplicationem corporum in hominibus? & conſequenter in lib. 3. de lib. arbit. cap. 21. dictat nullum eſſe periculum in fide, ſic vel aliter loqui, dummodo nihil aſſeramus, tanquam omnino certum. & tamen eſt certum ſecundùm fidem Catholicam, animam rationalem non eſſe unicam in omnibus hominibus, ſed multiplicari ad multiplicationem corporum. ergo multum intereſt, ſic vel aliter loqui; ac per conſequens Auguſtinus dubius inconvenientia, quæ ex tali dubio oriri poſſunt, non devitat. Quòd autem conſtet, eſſe certum ſecundùm fidem unum-

Digitized by Google

unumquemq; hominem habere ſuam animam, probatur teſtimonijs Sacræ Scripturæ:

I.

PRimò ex illo Genes. cap. 9. *ſanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum*: atquì unica anima non eſt pluralis Numeri. ergo &c. *Geneſ. 9.*

II.

SEcundò: *juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* quare non dixit; juſtorum anima, ſi unica eſt in omnibus anima? *2. Sap. cap. 3.*

III.

TErtiò: *vidi animas interfectorum propter verbum Dei.* unde ſequitur: *& datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ.* quare non dixit: vidi animam, & conſequenter data eſt illi una ſtola? ergo &c. *Apocal. cap.6.*

IV.

QUartò: *Omnes animæ meæ ſunt, ſicut anima Patris, ita & anima filij.* ubi ſunt, quæſo, omnes animæ, ſi una eſt Patris & filij &c. anima? *Ezech. 18.*

V.

QUintò: Secundùm fidem eſt certum, quòd de facto quædam animæ detinentur in inferno, quædam verò ſunt in requie: ut patet ex Luc. cap. 16. de divite, & Abraham cum Lazaro. multum ergo refert, ſic vel ſic loqui, ac per conſequens ſimiles quæſtiones non debent manere indeciſæ, quandoquidem ſecundùm fidem una pars dubij reapſe eſt vera. *Luc. cap. 16.*

VI.

SExtò: ſecundùm fidem eſt certum, quòd omnes reſurgemus in corpore & anima, ut referat unusquisq; propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Sed eſt impoſſibile, quòd eadem numero anima v. g. A. utpote indiviſibilis, ſimul ſit bona moraliter, & mala, fœlix ſummè & infælix: averſa à Deo, tanquam ab ultimo fine adæquato adæquatè, & converſa in alium finem adæquatè adæquatum: in gratia ſimul & peccato &c & maximè juxta fluentem providentiam, & Decretorum ſeriem, juxta illud: *juſto-*

Digitized by Google

juſtorum animæ in manu Dei ſunt & propterea, *non tanget illos tormentum mortis*: ergo &c.

VII.

Math. 1. & 16. quem dicunt homines &c. *Joan. 1. Luc. 1.*

SEptimò: ſecundùm fidem Catholicam eſt certum, quòd Chriſtus eſt filius hominis, ſcilicet, Immaculatæ Virginis Mariæ, & quòd habeat conſequenter animam intellectivam, realiter entitativè diſtinctam ab animabus omnium aliorum hominum: ergo &c. antecedens etſi probatione non egeat, ſic nihilominus quoad ſecundam partem oſtenditur: ſecundùm fidem eſt certum, quòd ſola anima Chriſti eſt unita phyſicè, & immediatè hypoſtaſi filij Dei, ac proinde quòd nullius hominis anima eſt divinitùs perſonalizata: atquì ſi eſſet unica in omnibus hominibus anima, totum hoc eſſet falſiſſimum: omnes namq; homines tunc casûs eſſent una perſona divina, nimirum unus Chriſtus, unus Redemptor, unus filius Dei naturalis: omnes ſubinde impeccabiles æquè primò, ſicut Chriſtus: ergo expreſsè eſt contra fidem, unam admittere animam intellectivam, ſeu rationalem in cunctis hominibus: ergo etiamſi, D. Auguſtinus ſub dubio hoc reliquerit, ut allegatum eſt, non ſequitur, quòd non ſit periculum utriq; quæſtionis membro indifferenter adhærere, & non determinatè illi, quod ſecundum fidem (ut ex dictis ſufficienter conſtat) eſt ſine dubio verum. ergo &c.

VIII.

Symb. S. Athanaſ.

OCtavò, ſecundùm fidem eſt certum, quòd Deus ſolus eſt immenſus, infinitus ſimpliciter, & ubiq; juxta illud: *immenſus Pater, immenſus filius &c. ſed unus immenſus.* & illud Davidicum: *quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in Cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* ſi autem admitteretur anima rationalis unica in cunctis hominibus, immediatâ conſequentiâ ſequitur, quòd ſit immenſa, infinita, & ubiq;: ergo &c probatur ſequela: Anima Chriſti, & prout in Chriſto, de facto eſt ſecundùm infallibilem fidei veritatem ſummè fœlix, ſuper omnes Cœlos collocata, ad dexterámq; æterni Patris conſiſtens. Eadem etiam anima, prout in Juda, exiſtit phyſicè in inferno, obruta extremis miſerijs, & tandem ipſamet in alijs atq; alijs naturæ humanæ individuis beari poſſet, atq; cruciari ubiq;: nimirum,

intra

Digitized by Google

intra mundum, in qualibet parte mundi, extra mundum, & ſine mundo: immenſa igitur deprehenditur, quandoquidem ubiq;. Præmiſſæ ſunt de fide, conſequentia eſt legitima. Hæc demonſtratio evertit Spiritum Mundi, qualiscunq; ille ſit, ſive rationalis (ut dicere tenentur Platonici, quibus conſciſcit Campanella cum alijs junioribus, de quibus infra) ſive purè ſenſitivus, (ut alij neoterici cum manifeſta doctrinæ inconſequentià ponunt,) qui ſit ſubſtantivè realitérq; indiviſibilis. Atquì attributum immenſitatis, & ubiq; eſſe, ex terminis eſt creaturæ incommunicabile, non minus, quàm eſſe Deum per eſſentiam: numeris ergo omnibus implicat unica anima in omnibus hominibus, ac per conſequens Spiritus Mundi realiter unus & indiviſibilis. A nobis quoq; eſt Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Guilielmus Epiſcopus Pariſienſis, qui anno gratiæ 1318. conſultis Doctoribus S. Theologiæ, hunc articulum, octavum in ordine, ſcilicet: *Angelus in eodem inſtanti eſt ubiq;, ſi velit eſſe ubiq;.* tanquam erroneum damnavit, & contrarium his verbis definivit: *Angelus eſt in loco per diſtinctiones, ita, quòd ſi eſt hîc, non eſt ibi in eodem inſtanti. Impoſſibile enim eſt in eodem inſtanti eſſe ubiq;, cùm hoc ſit proprium Dei.* ergo idem, quod prius: ponere ergo Spiritum Mundi realiter indiviſibilem, totum in toto mundo, & totum in qualibet ejus parte, eſt introducere ſecundum Deum, de quo verificabitur illud Prophetæ: Cœlum & terram ego impleo: ſed hoc ultimum repugnat: ergo & illud: ac proinde manifeſtè erronea eſt aſſertio Spiritûs Mundi. ergo &c.

Effugium.

NEc valet dicere, eadem materia prima eſt una in toto Mundo: & tamen non eſt infinita: ergo nec forma mundi erit immenſa, aut infinita. Non, inquam, valet, quia Materia prima non eſt eadem numero in quolibet individuo, ſed tot ſunt numero diſtinctæ, & diſcretæ realiter materiæ, quot ſunt ſubſtantiæ primæ, partéſq; in quantitate actu diſtinctæ: ac per conſequens ſicut non eſt quantitas formicæ in Luna, nec lunæ, ſic nec ſubſtantia materialis illius eſt in luna, nec Lunæ, & in terra, terræq; ſimul. Quod econtrariò ſe habet in forma unica mundi indiviſibili.

Deniq; Veritas Catholica, quam propugnamus, eſt definita

Digitized by Google

in Synodo Conſtantinop. Act. 10. & 11. & in Concilio quarto Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 8. in qua anathemate feriuntur omnes contrarium ſentientes, his verbis: *Damnamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe, aut unam eſſe in omnibus.* ergo &c. ex his.

SATISFACTIO AD OBIECTIONEM.

RESpondemus, quòd D. Aug. epiſt. 28. ad S. Hieronym. expreſsè affirmat ſingulas animas eſſe in ſingulis hominibus, quod ſufficit, ut ab omni erroris ſpecie ſit immunis S. Eccleſiæ Doctor. Deinde lib. 1. retract. cap. 11. ſe exponens, dicit: *unde tale aliquod à me dictum, quo id accipi poſſit, etiam in libro de immortalit. animæ cap. 15. temerè dictum notavi* ſupra lib. 1. retractat. cap. 5. *Non quia hoc falſum eſſe confirmo, ſed quia nec verum eſſe comprehendo, quòd ſit animal mundus.* Deniq; quidquid ſit de mente D. Auguſtini dubiâ, definitivè aſſerimus, eſſe de fide unicam eſſe animam rationalem in unoquoq; individuo naturæ humanæ.

Corollarium.

EX dictis 1. ſequitur, contra fidem manifeſtè erraſſe illos Philoſophos, quorum meminit N. Magnus Gregorius Papa lib. 2. epiſtolar. epiſt. 65. ad quendam medicum, qui aſſerebat, in duobus corporibus eſſe unam animam. 2. Sequitur, erraſſe etiam Mirandul: lib. 32. de everſion. ſingularis certaminis ſect. 1. & lib. 33. ſect. 2. & 6. & cum eo Achilinum lib. de intellig. quodlib. 3. dub. 2. & 4. qui ponentes animam eſſe actum corporis informantem, inconſequenter, & contra manifeſtam veritatem dicunt, illam ſecundùm rationem naturalem eſſe unam in omnibus, & ſolâ fide credendum eſſe, plurificari ad corporum pluralitatem. contra quos, & ſimiles graviter loquitur Doctor Angelicus opuſc. 16. circa finem, dicens: docere *ſecundùm rationem naturalem de neceſſitate eſſe tenendum, animam intellectivam eſſe unam in cunctis hominibus* (ut iſti dicunt eſſe) *licet oppoſitum dicant, pro fide ſe defendere, eſſe magnam temeritatem. aliàs, inquit, rationes naturales contra veritatem fidei concluderent, & fides eſſet de impoſſibili, & falſo.* Ad hæc: dicere, non eſſe credendum niſi per ſe notum, vel quod ex per ſe notis poteſt decla-

Digitized by Google

declarari, eſt error damnatus Pariſijs anno 1270. ab Epiſcopo Stephano. Sed quod accidentia Eucharistica ſint ſine ſubjecto ſubſtantiali, non eſt per ſe notum, nec ex per ſe notis declarari poteſt (idem dicendum de tota æconomia incarnationis Dominicæ, &c.) ſed fide tantùm creditur ſupernaturali; ergo quicunq; Doctor docet non eſſe credendum, niſi per ſe notum, convincitur eſſe actualis hæreticus, quandoquidem ipſe non credit in Euchariſtia eſſe accidentia ſine proprio ſubjecto ſubſtantiali, quia non ſibi notum. ô bone Deus, qualis Catholicus! qualis divinæ legis Doctor!

Nos autem à Mirandul: & Achilino Petimus primò, an, quia ſcriptum eſt pſal. 31. *nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, ideo dicendum ſit, equum & mulum ſecundùm naturalem noſtram cognitionem præditos eſſe rationali intellectu, & ſolùm ſecundùm fidem illo carere ſuſtinendum? Secundò, petimus ab ipſis, an homo ideò ſit pulvis quoad partem corporalem, quia divinitùs dictatum eſt: *pulvis es, & in terram ibis*, ac proinde ſolâ fide credi poſſe hominem conſtare ſubſtantiâ corpulentâ, non verò ratione naturali evidenter comprehendi, aut demonſtrari? vel an independenter à revelatione homo ſit pulvis, ac per conſequens naturaliter in eſſe talis evidenter cognoſcibilis? Tertiò, an Mirandula; & Achilinus ideo habeant intellectum, quia ſcriptum eſt à Pſalte: *Nolite fieri &c.* vel potiùs, quia à natura habent eſſe intellectivi; ideo divinitùs potuit ſcribi: *nolite fieri*? Porrò neceſſaria nobis videtur ſupernaturalis fides, ut, Mirandulanum & Achilinum cum alijs nonnullis junioribus ejusdem farinæ & famæ, firmiter credamus, ſubſtantias eſſe rationales, quandoquidem ipſimet ſine ſupernaturali fide pluralitatem intellectivarum animarum (quam à primo Phyſico uſq; ad ultimum lumine naturali fuiſſe computatam, nemo eſt, qui ambigat) dinumerare, craſsâ pollentes minervâ, nullo valuêre rationali modo. In obſequium igitur Aſſeclarum Juniorum, veritatiſq; eruendæ gratiâ, incidenter ab illis petimus.

§. 14.

An vera Philoſophia cum Sacra Theologia fidéq; pugnet?

Concluſio eſt Negativa.

QUam Doctor Angelicus lib. 1. contra Gent. cap. 7. hiſce roboravit rationibus;

I.

EA enim, quæ naturaliter rationi ſunt inſita, veriſſima eſſe conſtat, in tantum, ut nec ea eſſe falſa ſit poſſibile cogitare: nec id, quod fide tenetur, cùm tam evidenter divinitus confirmatum ſit, fas eſt credere eſſe falſum. Quia igitur ſolùm falſo verum contrarium eſt, ut ex eorum definitionibus inſpectis manifeſtè apparet, impoſſibile eſt illis principijs, quæ ratio naturaliter cognoſcit, prædictam veritatem fidei aut theologiæ contrariam eſſe.

I I.

ILlud, quod inducitur in animam diſcipuli à docente, Doctoris ſcientia continet, niſi doceat fictè, quod de Deo nefas eſt dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitùs eſt indita, cùm ipſe Deus ſit author noſtræ naturæ. hæc ergò principia etiam ipſa divina Sapientia continet. quicquid igitur principijs hujus contrarium eſt, eſt Divinæ Sapientiæ contrarium: non igitur à Deo eſſe poteſt. Ea igitur, quæ ex revelatione Divina per fidem tenentur, ac per conſequens, quæ per diſcurſum theologicum verè ex principijs revelatis inferuntur, non poſſunt naturali cognitioni eſſe contraria.

I I I.

ETiamnum contrarijs rationibus intellectus noſter ligatur, ut ad veri cognitionem procedere nequeat: ſi igitur contrariæ cognitiones nobis à Deo immitterentur, hoc ipſo à veritatis cognitione intellectus noſter impediretur, quòd à Deo eſſe non poteſt.

Digitized by Google

I V.

EA, quæ ſunt naturalia, mutari non poſſunt, naturâ manente: contrariæ autem opiniones ſimul eidem ineſſe non poſſunt: non igitur contra cognitionem naturalem aliqua opinio, vel fides homini à Deo immittitur. & ideo Apoſt. Rom. 10. *prope eſt verbum in corde tuo, & in ore tuo* (*hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*) ſed quia ſuperat rationem, à nonnullis reputatur quaſi contrarium: quod eſſe nullo modo poteſt. Huic etiam concordat authoritas S. Auguſtini, qui in 2. lib. ſuper Genes. ad literam, dicit ſic: illud quidem, quod veritas patefacit, libris Sanctis, ſive veteris teſtamenti, ſive novi, nullo modo poteſt eſſe adverſum. ex quo evidenter colligitur: quæcunq; argumenta contra fidem ponantur, hoc ex principijs primis naturæ inditis, & per ſe notis, non rectè procedere. Unde nec demonſtrationis vim habent, ſed vel ſunt rationes probabiles, vel Sophiſticæ: & ſic ad ea ſolvenda locus relinquitur. hæc Doctor Doctorum Angelicus Magiſter loco citato.

§.

Auctuarium.

NOs autem ſub auſpicijs ejusdem S. Doctoris aliquas alias adducemus rationes, præmittentes, eſſe multos noſtro ſæculo homines, & quidem ex eorum numero, qui doctrinæ & Sapientiæ laudem ſibi vendicant, qui in diſputationibus theologicis, præſertim, quando concluſiones mixtè tractantur, hoc eſt, quæ partim ex termino theologico, partim Philoſophico conſtant, ſentiunt ſe in anguſtias redigi per principia Philoſophiæ, ut inde honeſtè evadere non poſſint, neq; argumentorum objectorum nodos bene diſſolvere, ſtatim ad illud ſophiſticum χρῆζ φυγονν ſe recipiunt, Philoſophiam pugnare cum Theologia, & poſſe aliquid in philoſophia eſſe verum, quod tamen in theologia ſit falſum. Illorum igitur erroneæ opinioni occurrentes, quintam jam exhibemus rationem.

V.

BOnum bono non repugnat, ſed perpetuò concordat; ac proinde, gratia non deſtruit naturam, ſed perficit: ergo neq; vero naturæ verum revelationis divinæ. ergo &c.

Digitized by Google

V I.

SI Philoſophia vera cum Theologia Sancta pugnaret, id fieret; vel ratione formæ, vel ratione materiæ: ſed ratione formæ id fieri non poteſt: quia eadem eſt methodus doctrinæ, qua & Philoſophia & Theologia ſyſtematicè tractatur. neq; ratione materiæ fieri poteſt: quia nulla pugna eſt in terminis ſimplicibus utriusq; diſciplinæ, neq; in propoſitionibus. In terminis ſimplicibus non eſt: quia res, quæ in Philoſophia & Theologia traduntur, inter ſe non pugnant, ſed potius concordant, & ſubordinantur. In propoſitionibus etiam non eſt: quia neq; principia, neq; concluſiones Philoſophiæ pugnant cum principijs, & concluſionibus Theologiæ: neq; fieri poteſt, ut pugna ſit in propoſitionibus, niſi prius pugna fuerit in terminis ſimplicibus, ex quibus propoſitiones conſtant. ergo &c.

V I I.

QUia, quidquid pugnat cum Theologia ſacra, id habet originem à Patre mendacij Diabolo: Philoſophia autem non à diabolo habet originem, cùm ſit Sapientia nobis à Deo in libro naturæ patefacta, adeoq; radius divinæ veritatis, & Sapientiæ. ergo &c.

V I I I.

QUia, quidquid unicum eſt & ſimplex, id non recipit reſpectus contrarios, neq; poteſt reſpectu unius diſciplinæ eſſe tale: reſpectu verò alterius non eſſe tale: veritas autem Philoſophiæ in qualibet quæſtione eſt unica & ſimplex; ergo &c.

I X.

NUlla eſſet certitudo diſciplinaris, ſi id, quòd in una diſciplina eſt verum, in altera eſſet falſum. ſicut enim virtutes morales inter ſe omnes conſentiunt, ita ut id, quod ſecundùm unam eſt honeſtum, ſecundùm alteram non poſſit eſſe inhoneſtum: ita etiam omnes artes & diſciplinæ inter ſe conſpirant, ut quod ſecundùm unam eſt verum, ſecundùm alteram non poſſit eſſe falſum. ergo.

X.

SAnctus Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 6. ex profeſſo docet: utriusq; lumen & naturæ & fidei à Deo eſſe, atq; adeo neutiquam inter ſe pugnare. ergo &c.

Digitized by Google

X I.

IDem confirmat S. Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum, dicens: *Philoſophia ad veritatem cœleſtem operatrix & adiutrix invenitur, ſicut primus, & ſecundus gradus ei, qui aſcendit in cœnaculum; & grammaticus ei, qui eſt philoſophaturus.* in eandem conſpirans ſententiam Concilium Lateranenſe tertium, quod anno Chriſti 1150. celebratum eſt, ſeſſ. 8. ſtatuit: *Sacra Scriptura veritati naturæ non repugnat, eò quod verum vero non contradicit.*

X I I.

ULtima eſt Principis Philoſophorum, quæ coincidit cum aliquibus ex adductis in principio, & cum Decreto Synodi Lateranenſis tertiæ: Verum vero ſemper conſonat: ſicut contra falſum à vero ſemper diſſonat. Quamobrem lib. 1. ethicor. ad Nicomach. cap. 8. ſcripſit: Τῷ μὲν ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψευδεῖ ταχὺ διαφωνεῖ τ' ἀληθές. Item lib. 1. priorum analyticorum cap. 23. ſic: Δεῖ πᾶν τὸ ἀληθὲς αὐτὸ ἑαυτῷ ὁμολογούμενον εἶναι πάντῃ *Oportet omne, quod verum eſt, ipſum ſibi conſentaneum eſſe omnino.* Cum igitur ſatis jam probatum ſit Philoſophiam veram cum Theologia non pugnare: hinc neceſſariò jam colligitur, verum Philoſophicum cum vero Theologico ita connexum eſſe, ut quidquid ſit in Philoſophia verum, idem etiam in Theologia ſit verum, & vice verſâ: atq; ita ex natura oppoſitorum quidquid falſum ſit in alterutra, etiam in alia ſit falſum. Deniq; ut quidquid pugnet cum Theologia, id etiam pugnet cum vera Philoſophia, & econtra.

§.
Concluſio.

IMpoſſibile enim eſt, ut concluſio, ſive propoſitio aliqua ab omni ambiguitate terminorum libera, & rectè juſtéq; diſtincta, ac limitata, vera ſit ſecundùm principia Theologiæ, & tamen eadem falſa ſit ſecundùm principia Philoſophiæ, & vice verſâ. niſi velimus negare primum illud veritatis principium, quòd duo contradictoria, propter ſempiternam naturæ repugnantiam, non poſſint ſimul eſſe vera & falſa.

§. Ob-

Digitized by Google

§.

Objectio ignorantiæ in abſtracto.

IN Scriptis Philoſophorum (opponit ignorantia) non tantùm multa errata, ſed etiam in vita & moribus eorum multa peccata, & vitia reperiuntur, quæ manifeſtè cum Theologia & Sacra Scriptura pugnant: ergo hactenus dicta in arena fundata ſunt.

SATISFACTIO.

INdiſcretè loqueris, ignorantia, propterea in confuſo. ſed profectò non miror: quia mentem habes nullam, aut ſi habes, valde confuſam. Reſpondemus tamen tibi, errata voluntatis artificis non eſſe imputanda arti, ſed artifici, ſic, vel ſic pro libitu operanti &c. neq; errores Philoſophorum admittendos eſſe pro decretis Philoſophiæ proprijs tradimus, ſed pro illius excrementis. Diſtinguas, ſi potes, rogo, inter Philoſophiam, ut eſt habitus certus, & evidens per demonſtrationem acquiſitus, ac proinde ſcientia naturalis ſpeculativa, & inter Philoſophorum opiniones, quæ poſſunt eſſe falſæ, & erroneæ. Negamus etiam, quòd Philoſophia, de qua agimus, ſit amor Sapientiæ, aliàs eſſet merus actus voluntatis: quod ignorantia admittere ſola poteſt contra Doctores, Spiritu Dei illuminatos, æternùm negantes; ut ſupra jam determinatum eſt: ergo &c.

§.

QUinta probatio, Spiritûs Mundi difflativa, ex ſucceſſiva rerum prima conditione, ac paſſiva earundem productione, temporis morulis menſuratâ, petenda nobis eſt.

Cæterum, antequam ad probationis formam procedamus, opus eſt in dubium vertere: an ſex dies, qui cap. 1. Genes. numerantur, fuerint unus dies, vel, ut litera exprimit, ſex naturales?

§. 15.

Deciſio eſt affirmativa pro ſecunda parte dubij.

Quid circa hoc S. Aug. ſummatim dicat, audiamus?

San-

Digitized by Google

SAnctus Auguſtinus lib. 4. ſup. Geneſ. ad literam cap. 2. & 34. tom. 3 & lib. 11. de Civitate Dei cap. 97. tom. 5. & in Dialogo ad Oroſium quæſt. 65. cap. 26. tom. 4. vult, ut omnes, qui dicuntur ſeptem dies, ſint unus dies, ſeptempliciter rebus præſentatus. Nam ſecundùm Auguſt. per diem intelligitur cognitio mentis Angelicæ, ut ſic primus dies ſit cognitio primi divini operis. Secundus dies cognitio ſecundi operis, & ſic de alijs. & dicitur unumquodq; opus eſſe factum in aliqua die, quia nihil Deus produxit in rerum natura, quod non impreſſerit menti Angelicæ, quæ quidem multa ſimul poteſt cognoſcere, præcipuè in verbo, in quo omnis Angelorum cognitio perficitur, & terminatur. & ſic diſtinguitur dies ſecundùm naturalem ordinem rerum cognitarum; non ſecundùm ſucceſſionem cognitionis, aut ſecundùm ſucceſſionem productionis rerum.

§. 16.
Quid D. Thomas?

FActus eſt (inquit Angelicus Doctor) veſpere & mane dies ſecundus, & dies tertius, & ſic de alijs: ſecundum autem & tertium dici non poteſt, ubi eſt unum tantum: ergo non fuit unus dies tantùm. Quamobrem ad illud, quod ex Eccleſiaſt. cap. 18. obijcitur: *qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*, reſpondet: Deus creavit omnia ſimul, quantum ad rerum ſubſtantiam quodammodo informem, ſed quantum ad formationem, quæ facta eſt per diſtinctionem & ornatum, non ſimul. Eodem modo reſpondet ad illud, quod ex cap. 2. Geneſ. obijcitur: *hæ ſunt generationes Cæli & terræ, quando creata ſunt, in die, quo fecit Deus Cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra.* dicens: in die, quo creavit Deus cœlum & terram, creavit etiam omne virgultum agri, non actu, ſed antequam oriretur ſuper terram, id eſt, potentialiter. & tandem ibidem reſolutoriè concludit: non eſt impotentia Dei, quaſi indigentis tempore ad operandum, quòd omnia non ſimul diſtincta & ornata fecerit, ſed ut ordo ſervaretur in rerum inſtitutione, & ideo oportuit, ut diverſis ſtatibus Mundi, diverſi dies deſervirent, ſemper autem per ſequens opus novus perfectionis ſtatus mundo eſt additus.

D. Th. 1. p. q. 74 a. 2. arg. ſed contra.

Digitized by Google

§. 17.

Nunquid alij SS. Patres & Eccleſiæ Doctores cum D. Thoma conveniunt?

Reſp. affirmat.

SAnctus Chryſoſtom. homil. 10. in Genes. D. Baſilius in exameron cap. 5. D. Ambros. cap. 7. & lib. 2. de Cain cap. 6. & lib. 6. epiſtolar. epiſt. 39. Noſtri Sanctiſſimi Patres & Eccleſiæ Doctores Gregorius Papa lib. 32. Moral. cap. 10. Joan. Damaſcen. lib. 7. orthodox. fidei cap. 7. Rupertus lib. 1. in Genes. cap. 37. & lib. 2. cap. 18. Beda & ſtrabo in Genes. & alij multi ex noſtris Sancti Doctores. D. Gregor. Niſſen orat. 1. in Sanctam reſurrect. Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacrament. cap. 2. & 3. Magiſter Sentent. in lib. 2. diſt. 12. & 13 ubi S. Hieronymum pro communi citat ſententia. S. Bonaventura in 2. ſentent. diſt. 12. quæſt. 2. Gloſſa ordinaria. Abulenſis, Paulus Burgenſis, Paludanus, Lyra. Auguſtinus Eugubin. & ferè omnes Patres ſex dies ad literam ſine allegoria intelligendos eſſe conteſtantur. Gitari etiam poteſt pro hac ſententia B. Albertus Magnus in lib. de quatuor coævis quæſt. 12. a. 5. &. 6. & in 2. ſentent. diſt. 2. art. 1. qui licet expreſsè in neutram contradictionis Partem ſuam tulerit ſententiam ob dubij difficultatem; nihilominus in communem magis propendet, & quidem debet. Deniq; S. Athanaſius Synaita. commentar. in Examer. c. 1. recenſitis ſubſcribit Patribus & Eccleſiæ Doctoribus contra Philonem Judæum lib. 1. Allegor. legis, in cap. 2. Genes. ad illa verba: *complevit Deus die ſeptimo, &c.* ſic ſcribentem: *ruſticanæ ſimplicitatis eſt, putare per ſex dies diſtinctos mundum eſſe conditum.*

§.

Nunquid D. Auguſtinus doctior factus retractavit Sententiam?

Reſp. affirmat.

§. 18.

Digitized by Google

§. 18.

Narratio (dictat ipſe S. Aug.) *in his libris Geneſeos non genus locutionis figuratarum rerum eſt, ſicut in cantico canticorum, ſed omnino geſtarum eſt, ſicut in regnorum libris.* & cap. 2. ſic: *in principio converſionis meæ, contra Manichæos duos conſcripſi libros in Geneſim: & quia non mihi tunc occurrebant omnia, quemadmodum propriè poſſent accipi, magisq; non poſſe accipi videbantur, aut vix poſſe, aut difficilè, ne retardarer, quid figuratè ſignificarent ea, quæ ad literam non potui invenire, quantâ potui brevitate, & perſpicuitate explicavi, ne vel multâ lectione, vel diſputationis obſcuritate deterriti, in manus ea ſumere non curarent.* & lib. 1. retract. cap. 18. his concludit verbis: *breviter admoneo, ut illi duodecim libri legantur, quos longè poſtea Epiſcopus feci, & ex ipſis de iſto* (ſcilicet libro imperfecto de Genes.) *judicetur.* conſequenter de illis duobus contra Manichæos. Mutavit ergo ſententiam S. Auguſt. doctior factus in ſenectute. Cujus retractationem ſi legiſſent Cajetanus in cap. 1. Genes. Joannes Arboreus lib. 3. theoſophiæ. Procopius Gazæus, Alexander Alex. p. 3. q. 44. memb. 3. Banez comment. in 1. p. D. Thomæ q. 74 art. 2. fol. 95. Henric. Ganda. quodl. 6. q. 36. & alij Juniores, nunquam cum Origene homil. 4. ſuper cap. 6. Iſaiæ dicente: ſe ſcire, quòd in principio creavit Deus Cœlum & terram, & cætera, quæ narrantur Genes. cap. 1. quomodo verò iſta facta ſint, neſcire, dubium cum Philone in gratiam D. Auguſtini ſine gratia pro altera contradictionis parte decidiſſent, neq; S. Thomam in 2. Sentent. diſt. 12. & ſuper epiſt. ad Ephes cap. 3. lect. 3. pro ſe allegaſſent. Porrò S. Thomas 1. p. q. 74. a. 2. ſolut. ad 4. *non eſt impotentia Dei &c.* ut ſupra (ubi contrarium docet) præ oculis habebat hæc S. Auguſtini verba: *poterat omnipotens & uno momento temporis omnia facere: ſed ut ſignificaret, quia poſt ſex ætates Mundi hujus, ſeptima ætate tanquam ſeptimo die requieturus eſt in Sanctis ſuis &c.* ideo oportuit &c. Præmiſsâ igitur retractatione S. Auguſtini cum communi SS. Patrum Eccleſiæ placito, ſic breviter deciſio noſtra roboratur. D. Aug. lib. 8. Genes. ad lit. cap. 1.

§.
Deciſionis ſufficiens probatio.

Digitized by Google

DEus requievit die ſeptimo, ut convincitur ex cap. 1. Genes. & ex Exod. 20. non ergo omnia eſt operatus uno die. Probatur conſequentia: quoniam Deus cœpit omnia producere die, quæ modo dicitur Dominica: ergo ſi ipſo die omnia conſummavit, non requievit die Sabbathi. Quòd autem in die, quæ nunc dicitur Dominica cæperit Deus producere Mundum, aſſeritur inprimis à Leone primo Pontifice in epiſt. 79. ad Dioſcor. & refertur 75. diſt. cap. *quod die Dominico.* aſſeritur etiam à S. Baſilio homil. 2. Examer. in fine. & à S. Gregorio Nazianzeno in orat. in 9. Dominicã; Imò hoc ipſum docet S. Auguſt. in ſerm. 251. de tempore. & in quæſtionib. de novo teſtam. quæſt. 95. idemq; inſinuat in quæſtionibus ex utroq; teſtamento mixtim q. 106. & hoc ipſum confirmatur antiquo carmine Eccleſiæ.

Primo dierum omnium,
Quo mundus extat conditus,
Vel quo reſurgens conditor
Nos, morte victâ, liberat.

Atquì conſtat, quod die Dominica Chriſtus Dominus reſurrexit: ergo eodem die mundus exiſtit conditus. Unde Sedulius Chriſtianus Poëta lib. 4. carmin. cecinit.

Cæperat interea poſt triſtia Sabbatha felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
à Domino Dominante trahit, primúsq; videre
Promeruit naſci mundum, atq; reſurgere Chriſtum.

II. RATIO.

Gen. 2. ISta ſunt generationes Cœli & terra in die, quo fecit Dominus Cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnémq; herbam regionis, priuſquam germinaret. Non enim pluerat Dominus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur eam:* Ex quibus ſic argumentari oportet: ſi à principio (ut conſtat) quo creavit Deus Cœlum & terram, nondum erat homo, qui operaretur terram, planè conſtat, quòd non omnia ſimul creata ſunt: ergo &c.

III.

EXod. 20. Sex diebus concedebatur Hebræis operari, & die ſeptimo, ſcilicet Sabbatho, præcipiebatur eis, ut quieſcerent. Cu-

Digitized by Google

Cujus præcepti talis proponebatur ratio, quia Deus ſex diebus operatus eſt mundum, & die ſeptimo requievit. atqui hæc ratio nulla eſt, ſi Deus omnia ſimul operatus eſt, ſic enim non die ſeptimo, ſed ſecundo die, vel etiam in parte primi diei, quin imò in ſecundo inſtanti primæ diei requievit, eò quòd, ſi omnia fecit in uno die, quia Omnipotens eſt, omnia fecit in uno inſtanti, quia etiam potentiam habuit, ut in inſtanti uno faceret omnia. ac per conſequens ſic deludemus literam Sacræ Scripturæ, quam defendere uſq; ad ultimum tenemur apicem.

I V.

JUdith. cap. 2. legitur: *tu feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti*: ergo inter illa fuit Ordo prioris & poſterioris, etſi non ex parte Dei, quia hoc repugnat: bene tamen ex parte rerum factarum: ergo non ſimul omnia facta ſunt.

V.

Quinta ratio, quæ eſt decima quinta ab authoritate, proponitur intelligenda.

SI non ponatur ſucceſſio temporis in operibus Dei, non poterit verificari, quòd animalia, & plantæ ex terra productæ fuerint, ſed potiùs ex nihilo ſimul cum ipſa terra. Similiter piſces & volatilia non dicerentur produci ex aqua, ſed ex nihilo, ſi in eodem inſtanti hæc condita ſunt ipſis cum elementis. Idem dicendum eſt de hominis creatione. Probatur aſſumptum: ideo Cœlum pro formali dicitur creatum, & non ex Cœlo pro materiali eductum, quia in eadem duratione inſtantis realis, privationem formæ in ſubjecto non præſupponente, productum eſt: ſed omnia quoad ſpecies ſuas ſubſtantiales in eodem nunc comproducta ſunt, (ut ſupponimus) ex nihilo ergo ad eſſe per creationem unà convocata ſunt atq; concauſata. Non ergo eſt verum, quòd terra produxit herbam virentem, neq; quòd aquæ produxerunt reptile animæ viventis &c. ſed quòd omnia ſunt immediatè à Deo per creationem, ſicut Cœlum & ipſa terra. Quod expreſsè pugnat cum litera Sacræ paginæ, & SS. Patrum intellectu, ut vidimus. Dicendum ergo eſt, quòd beſtiarum ani-

Digitized by Google

animæ, quæ ſunt terminus formalis divinæ dictionis ad extra, juxta illud: dixit Deus, producat terra animam viventem &c. & illud: fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas &c. ſunt entia formalia phyſicè, realitérq; diſtincta à forma cœli, quæcunq; illa ſit. Conſequentia patet, nam aliàs non creaſſet Deus omnem animam viventem, ſed recreaſſet, reformaſſet, aut replicaſſet unicam animam viventem juxta ſpecies accidentales, quod nullus ſani cerebri Philoſophus, & multò minus S. Rom. Eccleſiæ ſyncerus filius pro roſtris audebit aſſertivè defendere. Non ergo Spiritus Mundi eſt quædam forma ſubſtantialiter indiviſibilis, & exiſtens in toto & in qualibet parte hujus univerſi, quandoquidem beſtiarum animæ plurificantur realiter, & ſunt plures, quàm ſtultorum numerus, qui eſt infinitus. ergo &c.

Definitio Concilij Lateran. 3. cap. de ſumma Trinitate.

PRopterea in Concilio Lateranenſi 3. quod refertur cap. firmiter de Summa Trinitate, & fide Catholica, ſic definitum eſt: *Deus ab initio temporis ſimul utramq; de nihilo condidit naturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam & mundanam: ac deinde hominem, quaſi communem ex Spiritu & corpore conſtitutum.* Ex qua ſanctione ſanctiſſimè firmiſſiméq; deducitur, quòd non in eodem produxerit Deus inſtanti Angelos, mundum, & hominem. Ac proinde quòd Spiritus Mundi, ſive rationalis ſit (ut Plato cum antiquis ſenſit, ut refert D. Auguſtinus loco citato, ſed à nobis in bonam partem cum S. Cyrillo expoſitus) ſive ſenſitivus tantùm (ut aliqui Phyſici hoc noſtro ſæculo auſu temerario ſuis evulgarunt ſcriptis) ab Almo Spiritu, qui in ore SS. Patrum, in nomine JESU Chriſti congregatorum, loquebatur, extinctus ſit atq; difflatus. ergo &c.

§. 19.

Quid Manes hæreſiarcha de anima Mundi?

UT Urbi & Orbi conſtet Chriſtiano, quem præceptorem, præter antiquos Philoſophos jam citatos, quos non omnes intelligunt,

Digitized by Google

ligunt, Pneumocoſmici habeant, animationem Mundi propugnantes, operæ pretium duximus hîc recenſere Manichæorum deliria, & priſcam eorum originem.

Manichœorum Origo.

SCythianus quidam, Saracenus natione, in Arabia nutritus, & in Philoſophia eruditus, magnum ſibi à doctrina nomen peperit. Idem cùm in Indiam ſæpius proficiſceretur Orientalem, mercimoniorum gratiâ, magnum mercium quæſtum fecit. cúmq; per Thebaidem ipſi tranſeundum eſſet, invenit ibi aliquando in lupanari pulcherrimam mulierculam, quam, inde extractam, uxorem duxit. cum qua cùm multo tempore in delicijs vixiſſet, in voluptuario illo otio aliquid novi ſibi excogitandum duxit: primúsq; occaſione ex Pythagora ductâ, ita ratiocinari cæpit: in natura inæqualia ferè omnia apparent & contraria: ut nigrum & album: fulvum & pallidum: humidum & ſiccum: Cœlum & terra: nox & dies: bonum & malum: anima & caro: duo ergo principia diverſa hujus inæqualitatis atq; contrarietatis cauſa neceſſariò ſunt. libros quatuor ſcripſit, unum myſteriorum, alterum Summarum, tertium Evangeliorum, quartum theſaurorum. Cùm audiſſet de prædicatione Evangelica unius Dei, profectus fuit Hyeroſolymam, ubi à Chriſtianis convictus, ſtatim propterea receſſit in Patriam: & tandem in actuali faſcinatione magiæ de tecto domùs ſuæ præcipitatus, infelicem vitæ finem ſortitus eſt, relicto peſſimi erroris, & librorum Magicorum hærede Terbintho diſcipulo ſuo.

§.

HIc ad Scythiani uxorem non eſt reverſus, ſed auro, argento & alijs Scythiani reculis collectis, profugit in Perſidem, & ibi cum quadam vidua vixit. cúmq; & ipſe domunculam quandam conſcendiſſet, incantationis cauſâ, ab Angelo deturbatus, concidit, & infauſtè emortuus eſt. Vidua igitur, pecuniarum ipſius poſſeſſionem adepta cùm eſſet, nonnullis decurſis menſibus, emit ſervum Cubricum, qui ſe Manem (quod Babilonicâ Lingvâ vas, græcâ inſanum ſignificat) appellavit, & poſt mortem, hunc ut opum, ſic & veneni hæretici hæredē habuit. Hic

Hic multum diſputavit, ſed ſemper fruſtra: finem igitur factúrus ſuæ inſaniæ in Perſidem perrexit, filium Regis ægrotantem ſanaturus, ope videlicet librorum Domini ſui Terbinthi; ſed mortuo adoleſcente, filio Regis, Manes in Carcerem conijcitur: in quo libros ſacros, à diſcipulis ad ſe perductos, corrupit, & quæcunq; potuit, ad dementiæ ſuæ defenſionem detorſit. Corruptis dein Carceris Cuſtodibus, aufugit è Perſide, & Romaniam adijt, ubi diſputavit cum Sanctis viris Marcello, Tryphone, Archelao & alijs, à quibus evidenter convictus, receſſit nunquam rediturus. Deniq; à Rege Perſarum retractus, excoriatus eſt. relictis diſcipulis Thoma, Ælda, Hermæo, & alijs, à quorum diſcipulis ſibi multa narrata eſſe, ſcribit S. Epiphanius. S. Auguſtinus de hæreſib. cap. 46. ſcribit, diſcipulos ejus, vitantes nomen inſaniæ, geminatâ N. literâ, Mannichæum, quaſi Manna profundentem, pro Manichæo, id eſt, inſano, appellaſſe. Cœpit hæreſis hæc Manichæa circa quartum annum Aureliani Regis, & in multis terræ partibus proſeminata eſt anno Chriſti 277. tertio anno Pontificatûs S. Eutichiani Martyris.

§. 20.

Capita hæreſeos Manis, ſeu Manichæi recenſentur.

I.

DUo eſſe principia, ſemper exiſtentia oppoſita: quorum alterum lux & bonum, adeoq; Deus: alterum tenebræ & malum, adeoq; Diabolus vocetur; quanquam aliquando ambos indiſcriminatim Deos compellet.

II.

ALterum principium creaſſe corpus ſenſitivum: alterum animam rationalem: alterum conſequenter bona omnia, alterum mala omnia.

III.

PRincipium tenebrarum locutum eſſe in lege: Deum bonum in Evangelio: ideò duo teſtamenta eſſe inter ſe contraria.

IV.

Ecce Pneumocoſmicorum dogma. EAndem eſſe animam ſenſitivam, à malo principio cauſatam, in omnibus creaturis & animantibus, tam rationalibus, quàm irrationalibus.

V. Eden-

V.

EDentem carnes, edere animam ſenſitivam, & ob talem eſum fieri reum, ut ipſe tale quid aliquando fiat, veluti ſi porcum comedit, ut porcus, depoſitâ rationali animâ, fiat, aut taurus, ſi taurum, vel limax, ſi limacem.

V I.

SI quis plantaverit vitem, aut oleam, aut morum, aut perſeam, ipſo mortuo, ejus animam ſenſitivam ligari in arborum ramis, quas plantavit, & inde tranſcendere non poſſe. Idem colligitur ex doctrina cujusdam Phyſici neoterici, in idea idearum, titulo adverſus adulterinas ideas:

Cujus hæc ſunt verba: *reſpondeo, formas à conſortio materiæ divulſas, quia in ſe impartibiles, nullius loci indigas eſſe. Quia tamen eſſentia finita neceſſariò aliqua parte loci imaginarij definitur: dico, in illa parte loci, quâ divellitur à ſubjecto, reſtare, & neq; per ſe, neq; per accidens loco tum moveri. Hæc neotericus.*

V I I.

SI quis uxorem duxerit: etiam ipſum poſt obitum tranſiturum in aliud corpus fæmineum, ut etiam ipſemet nubat.

V I I I.

SI quis occidat aut hominem, aut aſinum, aut aliud animal, illius animam ſenſitivam, utpote à malo principio prognatam, converti in corpus occiſi, aut in murem, aut in ſerpentem.

I X.

ANimas rationales Manichæorum aſſumi in Lunam, poſt diſceſſum è corpore, & ideò Lunam augeſcere, & decreſcere, dum impletur animabus eorum, qui in cognitione Manichæi delirij moriuntur. Deinde easdem à luna minore, videlicet ſcapha, depleri, & in ſolem deferri, & in Sæculum deniq; Beatorum deponi.

X.

PAradiſum eſſe hunc Mundum; plantas in eo eſſe carnis ſentientis concupiſcentias, arborem vitæ eſſe JESUM.

X I.

ADamum à Principe quodam creatum fuiſſe, Principémq; dixiſſe ad alios Principes: *faciamus hominem.*

XII.

PLuviam non eſſe à Deo, ſed ex Principum defluxu.

XIII.

PRincipatus & poteſtates rapere Deo animam rationalem, illato illi bello, ac per conſequens Spiritum rationalem ſalvari ſine corpore & anima ſenſitiva. Nullum tamen fuiſſe ſalvatum uſq; ad undecimum annum Tyberij Cœſaris.

XIV.

CAuſam, cur homines moriantur, eſſe hanc: virgo quædam pulchra nimis (inquit) & ornata, ad perſvadendum valde apta, deprædari conatur Principes illos, qui in firmamentum à vivente Spiritu ſublati ſunt, ac crucifixi. Videtur autem maſculis quidem fœmina eſſe formoſa, fœminis verò adoleſcens ſpecioſus & amari dignus. & Principes quidem ubi vident ipſam ornatam, amoris œſtro ſtimulantur, & non valentes ipſam comprehendere, amoris deſiderio, mente correpti, vehementer ardent: igitur hinc inde curſitantibus Principibus, virgo diſparet; & tunc Princeps magnus nubes ex ſeipſo emittit, quibus mundo tenebras inducit. Si verò ipſe Princeps nimis preſſus fuerit, inſtar hominis ſudans affligitur, unde pluvia eſt aliud nihil, quàm ſudor ejus. Alter Princeps, Meſſor appellatus, ſi à virgine ſpoliatus fuerit, diffundit peſtem per totam terram, quâ homines enecet.

XV.

DE virtute quadam emiſſam eſſe matrem vitæ: hanc primum hominem, ut diximus, & hunc elementa produxiſſe, quæ ſecundum Manichæum ſunt lux, aqua, ventus, ignis, materia.

Deniq; præter alias ſtultitias, & nugas Diabolicas, finxit humiferum quendam, ſeu bajulum univerſæ terræ, qui poſt trigintà annos, laſſato humero, in alterum reponit eam, & tunc terræ motus fieri; & concludit, Humiferum in extremis diebus, conſpicatum imaginem ſenis, demeſſurum univerſam terram, quam ignis abſorbebit æternus. &c.

§. 21.

Contra poſitionem duplicis Principij.

APO-

APODIXIS I.

SI duo ſunt principia contemporanea, ne nomine quidem (ut ſcribit S. Epiphanius) variant, quidquid enim contemporaneum eſt, & coæternum eſt: atquì principia Manetis nomine diſcrepant, alterum enim lux, alterum tenebræ vocantur: ergo Manis principia non ſunt contemporanea. *Contra Manichæos.*

II.

SI duo ſunt principia contemporanea, aut ſunt conjuncta, aut disjuncta; ſi conjuncta amicâ quadam concordiâ: non ergo ſunt contraria, quod vult Manes: ſi disjuncta: non igitur ſunt principia, quia imperfecta, eò quòd terminata: ergo &c.

III.

SI duo principia contraria, termino contrarietatis inter ſe disjuncta ſunt, tria, non duo ſunt principia: falſum hoc, ergo & illud. probatur minor: terminus contrarietatis, qui diſtinguit duo principia, aut utriq;, aut alteri ſimilis eſt, aut planè diſſimilis: non utriq;, ſic enim non disjungeret ea: non alterutri: ſic enim non amplius alienum erit id, quod prohibet ab eo, cui aſſimilatur: ergo planè diſſimilis, adeoq; tertium principium: ergo &c.

IV.

SI duo principia ſunt contraria, & terminus ea disjungens contemporaneus, neceſſariò requiritur Mediator, qui terminum figat, quòd neuter Deorum principiorum facere poteſt contrarium: ac per conſequens quatuor jam erunt principia, & ſic deinceps. Sed de his redibit ſermo in Dialogiſmo 1. Ethnico-theologico in 1. part. Doctoris Angelici: dicta ergo ſufficiant.

§.

CAVILLUS I. MANIS.

Pro duplicis principij phantaſtica defenſione.

CHriſtus dixit ad Judæos: *vos filij diaboli eſtis*: ergo ſunt quædam creaturæ mali Dei.

SATISFACTIO.

SEcundum regulam Logicam (reſpondet S. Epiphanius) non valere conſequentiam, mutato genere prædicationis uſitato in peregrinum : ac proinde Catachreſticus Judæos Diaboli filios dici, ſcilicet propter opera conſimilia.

§.

Ad hominem impugnatio concluſiva.

SI Judæi non moribus, ſed naturâ ſentiente ſunt filij Diaboli, Abraham quoq; Pater illorum filius eſt Diaboli: ſed falſum hoc, quia Chriſtus filios Abrahæ, & Diaboli ibidem diſtinxit: ergo & illud. Secundò: ſi Judæi non moribus, ſed naturâ filij diaboli dicuntur, Chriſtus etiam, qui hoc dixit, filius diaboli eſt, quia ex Judæa Matre natus eſt: ſed falſum hoc: ergo & illud: Hoc enim verum eſt: *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

Joan. 1.

§.

CAVILLUS II.

SEminans bonum ſemen, eſt Deus: ſeminans zizania, eſt Diabolus: ager eſt Mundus: ergo duo Authores rerum, bonarum Deus, malarum diabolus.

SATISFACTIO.

REſpondemus cum S. Epiphanio: ſimile zizaniorum non confirmare, ſed evertere principia Manis, quia Salvator dicit: agrum eſſe Mundum, agri Dominum eſſe Patrem ſuum. Mundus igitur non eſt Diaboli, quod vult Manes. Deinde negamus, Diabolum ſine permiſſione Dei poſſe ſeminare zizania, & conſequenter non eſſe cauſam ſolitariam, ſed homines dormientes, & liberè negligentes facere opera juſtitiæ in omni materia virtutis.

S. Aug. lib. 6. quæſt. Evang. in Mat. c. 11. tom. 4. inquit cum negligentius agerent præpoſiti eccleſiæ, venit diabolus, & ſuperſeminavit eos, quos malos filios Dominus interpretatur &c.

CAVILLUS III.

CHriſtus vocat diabolum Principem mundi, dicens: venit Princeps mundi, & in me nihil, quod ſuum eſt, invenit. ergo & c.

SA-

Digitized by Google

SATISFACTIO I.

RESpondet S. Epiphanius per Principem mundi non intelligi Diabolum, ſed Principem mundi eſſe Superbiam, audaciam, & arrogantiam hominum, quæ per crucem Chriſti fracta eſt.

SATISFACTIO II.

RESpondemus 2. cum S. Auguſtino, *ipſorum tantùm deſperanda eſt correctio, contra quos habemus occultam luctam: ad quam luctam nos armat Apoſtolus, dicens: non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, id eſt, non adverſus homines, quos videtis, ſed adverſus Principes, & poteſtates, & rectores mundi tenebrarum harum. Ne fortè cùm dixiſſet, mundi, intelligeres Dæmones eſſe rectores Cœli & terræ. Mundi dixit, tenebrarum harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum & iniquorum: mundi dixit, de quo dicit Evangelium: & mundus eum non cognovit.* & iterum Dominus in Evangelio: *ſi mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.* *D. Aug. tract. in pſal. 54. ad v. 1.*

CAVILLUS IV.

DEus Sæculi hujus excœcavit mentes infidelium: ergo Diabolus, Paulo quoq; teſte, mundi hujus Author, ac per conſequens alterum eſt principium.

SATISFACTIO.

REſpondemus cum S. Epiphanio negativè, & affirmativè: negativè; Diabolum non eſſe Deum hujus ſæculi, quia alioqui Chriſtus veniſſet in aliena: adulatus eſſet Sathanæ, qui ipſius creaturas ſalvaret, nec Sathanas amplius malus eſſet, qui aſſentiatur, ut ſui ſalventur. & tandem quia unus eſt Deus conditor mundi, Pater Chriſti. Affirmativè: Deum hujus ſæculi eſſe id, quod ſibi infideles delegerunt: & tales Deos multos eſſe, ut ſi dicatur: *Quorum Deus venter eſt.* item: *nemo poteſt duobus Dominis ſervire, Deo, & Mammonæ*: Deum igitur hujus ſæculi eſſe ventrem & avaritiam, quibus maxima hominum pars ineſcata cæcutiat.

CAVILLUS V.

NOn poteſt arbor bona fructus malos facere: neq; arbor mala fructus bonos facere: ſed arbor bona eſt Deus, & mala eſt Diabolus: ergo &c.

Digitized by Google

Retorquetur argumentum.

SI Deus & diabolus intelliguntur per arbores: habent ergo agricolam, qui ipſas plantavit: quidquid autem plantatum eſt, non eſt ſine principio: ergo Deus & Diabolus non ſunt duo prima principia. Unde dicendum nobis eſt, non eſſe dictum de Deo & de Diabolo, ſed de juſtitia habituali, quæ eſt arbor plantata divinâ operatione in anima juſti, ut juſtus rectæ operationis fructus ubertimos producat, & ex illis vivat juxta illud: *labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit, &c.* & de habituali vitio atq; peccato, à quo nullus bonus fructus unquam producetur, ſed malus ſemper moraliter. ergo &c.

Pſalm. 127.

CAVILLUS VI.

LUx in tenebris lucet, & tenebræ ipſam non apprehenderunt: perſecutæ ergo ſunt tenebræ lucem, ac proinde fortiores eſſe tenebræ deprehenduntur luce.

SATISFACTIO.

IN Evangelio non habetur, quòd lux fugerit à facie tenebrarum, ſed quòd in tenebris fulſerit, quod eſt toto cœlo diverſum. Lux etenim illa fuit lex naturæ, quam ubi conſpexit Enoch, Deo complacuit. per quam Noa gratiam invenit, & Abraham juſtificatus eſt. Deinde ad ſcintillas illius lucis aſcendit ſplendor legis, per Moyſen traditæ. Tandem venit magnum illud luminare, quod adhuc in tenebris viatorum, id eſt, in mentibus fidelium atq; credentium, in ænigmate Deum videntium, lucet, Chriſtus, à quo ſupplices cum Zacharia Patriarcha petimus: *illuminare his, qui in tenebris, & umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.*

Luc. 1.

§.

COntra poſitionem duplicis animæ, nimirum ſenſitivæ, quæ ſit eadem in omnibus creaturis, ut voluit Manes, cui omnes Pneumocoſmici tenentur ſubſcribere, & rationalis ſimul, quæ ſit eadem in omnibus etiam creaturis, ut ijdem autumant fautores Spiritûs Mundi, vel diſtincta numero in unoquoq; individuo naturæ

turæ humanæ, ut inſanus Manes prudentior in hoc, quàm illi, etſi aliquando ſui ipſius oblitus firmiter ſtatuit infirmus:

Opponimus 1. S. Epiphanium, hanc dementiam ſic difflantem:

SI eadem anima eſſet (arguit S. Pater Eccleſiæ) in omnibus creaturis, etiam pecorum ſanandorum curam Chriſtus ſuſcepiſſet, qui venerat homines ſalvaturus: falſum hoc: ergo & illud. *Hæreſ.*

Si eadem namq; anima eſſet in cunctis creaturis, Chriſtus unam animam ſalvare volens hominis Dæmoniaci, non duo millia animarum Porcorum, in quos Dæmones ingreſſi ſunt, perdidiſſet: ſed perdidit: ergo &c.

Opponimus 2. definitionem octavi Concilij Generalis Act. 10. Can. 11. quæ ſic ſe habet:

A*Pparet* (definierunt Concilij Patres, in Spiritu Sancto congregati) *quosdam in tantam impietatem veniſſe, ut hominem duas habere animas dogmatizent impudenter. Tales ergo impietatis inventores, & ſimilia ſentientes, cùm vetus & novum teſtamentum, omnésq; eccleſiæ Patres unam habere animam aſſeruerint, ſancta & univerſalis Synodus anathematizat.*

Nunquid hac definitione comprehenduntur Pnevmocoſmici?

REſp. affirmat. quod ex dicendis abundè conſtabit.

§. 22.

Quid S. Auguſtinus de duplici anima Manichæorum?

M*Anichæi* (refert S. Doctor) *duo animarum genera eſſe dicunt, unum bonum, quod ita ex Deo ſit, ut non ex aliqua materia, vel ex nihilo à Deo factum, ſed de ipſa ejus omnino ſubſtantia pars qua-* *D. Aug. lib. de duab. animab. cap 1. & 12. lib. 6. contra. Fauſt. cap. 8.*

Digitized by Google

quædam proceſſiſſe dicatur: Alterum autem malum, quod nulla prorſus ex parte ad Deum pertinere credunt, credendúmq; commendant. & illud ſummum bonum, hoc verò ſummum malum eſſe prædicant, atq; iſta duo genera aliquando fuiſſe diſcreta, nunc eſſe commixta. hæc S. Aug. Quibus præmiſſis contra Pneumocoſmicos, Sanctionem generalis Concilij ſine intellectu interpretantes de duplici anima rationali, & ſeipſos ſimili interpretatione jugulantes, ſit.

lib. retract. cap. 15. lib. de ver. relig. c. 9. lib. de hæreſ. n. 46.

APODIXIS I.

SAnctus Auguſtinus non ignoravit ſectam Manichæorum (præſertim cùm ipſe in adoleſcentia ſua, hæreticâ illorum labe fuerit infectus, ut hiſtoria Eccleſiaſtica de ipſo refert, his verbis: *Auguſtinus adoleſcens, dum eſſet Carthagine, in Manichæorum hæreſim incidit*) ſed Auguſtinus non docet Manem, aut Manichæos duas animas rationales poſuiſſe in quovis individuo naturæ humanæ, quia alias utraq;, utpote rationalis, eſſet bona, & conſequenter à bono Deo; & inde ſequetur, quòd tres ille animas poſuiſſet, quod eſt omnino falſum: ſed tantùm unam rationalem à bono Deo, & alteram ſentientem, nomine carnis ſignificatam, à Dæmone, ſeu malo Deo. ergo vana eſt inopinata diſtinctio Pneumocoſmicorum, præliteram ſanctionis de duplici anima rationali exponentium. Præmiſſæ ſunt certæ, & conſequentia legitima. ergo &c.

II.

NUllus hæreſiarcha (ut conſtabit ex dicendis) poſuit duas animas rationales in unoquoq; homine: ergo nullum Concilium eſt congregatum ad dicendum anathema tali hæreſiarchæ. conſequentia eſt conſpicua. atquì in concilio generali feriuntur anathemate omnes dogmatizantes in quovis homine eſſe duas animas: ergo definitivè definitio illa ſancita eſt contra ponentes duas animas, unam ſenſitivam in omnibus creaturis, ut Manes voluit, & aliam rationalem, ſive pluribus communem, ſive unius individui particularem: ergo interpretatio Spiritûs Mundi fautorum de bina anima rationali à Spiritu Sancto non eſt: Nulla ergo profectò eſt.

S. CA-

Digitized by Google

§.

CAVILLUS MANICHÆORUM

Pro duplicis animæ, ſenſitivæ ſcilicet & rationalis, in unoquoq; homine ponendæ, aſſertione producitur.

SCriptum eſt ad Galatas 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adversùs carnem*: ergo duplex eſt anima in homine. probatur conſequentia: ille ſpiritus carnis eſt in anima: ſed in eadem anima non poſſunt eſſe appetitus contrarij: alius ergo eſt appetitus animæ ſenſitivæ, & alter intellectivæ. *ad Galat. 5.*

CONFIRMATIO.

PRimæ ad Theſſalon. 5. dicitur: *ut integer ſpiritus veſter, & anima & corpus in adventu Domini noſtri JESU Chriſti conſervetur.* Ecce hic Apoſtolus diſcernit inter ſpiritum, & animam, & corpus: atquì corpus verè diſtingvitur ab anima: ergo anima verè diſtingvitur à ſpiritu; ſed nomine ſpiritûs intelligitur anima intellectiva: ergo nomine animæ intelligetur anima ſenſitiva. ergo &c. *1. ad Theſal. 5.*

SATISFACTIO S. AUGUSTINI REDARGUITIVA.

CUr *non magis* (redarguit S. Doctor Manichæos) *hoc ſignum eſt unius animæ, quæ liberâ voluntate huc & illuc ferri, hinc atq; hinc referri poteſt? nam mihi cùm accidit, unum me eſſe ſentio utrumq; conſiderantem, alterum eligentem; ſed plerumq; iſtud libet, hoc decet, quorum nos in medio poſiti, fluctuamus.* & lib. 2. de moribus Manichæor. idem reſumens argumentum, ſic illis objicit: *illud tamen in omnibus vobis (Manichæis) quemadmodum ferri & tolerari poſſit, ignoro, quòd cùm animam bonam partem Dei eſſe dicatis, aſſeritis tamen, etiam exiguo admixto malo (ſcilicet mala anima) majorem ejus copiam ubertatémq; ſuperari.* Manifeſtum igitur fit (concludit S. Doctor) *rationales mentes ſingulos quósq; noſtrum ſingulas habere, & non plures.* *D. Aug. lib. 10. Geneſ. ad lit. cap. 12. lib. de duab. animab. cap. 13. lib. 2. de morib. Manichæor.*

Ex his S. Doctoris verbis ſine dubio conſtat, Manichæos propter repugnantiam carnis & ſpiritûs poſuiſſe illas duas animas, de quibus ſupradiximus, quod tamen nec locus S. Pauli, nec argumentum *lib. 2. de lib. arbit. c. 7. contra Aver. & lib 3. de lib. arbit. cap 7. & 9. & epiſt. 28.*

tum

tum probat: quoniam nomine carnis intelligit Apoſtolus appetitum ſenſitivum, qui ſolet eſſe rebellis contra rationem, juxta illud Rom. 7. *video aliam legem* (non dixit aliam animam) *in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Quod pulchrè ediſſerit S. Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 50. Quamobrem dicendum eſt, quòd anima intellectiva, quamvis ſit una, tamen propter ſuam maximam perfectionem continet diverſas potentias in diverſis ſubjectis partialibus, & conſequenter habet etiam diverſos appetitus, quorum unus tendit in bonum ſenſibile, alter verò in bonum univerſale, & propterea contingit, illas eſſe quoad functiones contrarias.

de natur. & grat. c. 50.

§.
Nunquid S. Auguſt. hoc ipſum alibi docet?
Reſp. affirmat.

lib. 12. de Trinit. cap. 1. 7. 8. 12. 14. apud Mag. ſentent. lib. 2. diſt. 24.

Videamus (inquit S. Auguſt. hactenus dicta confirmans) ubi ſit quaſi quoddam hominis exterioris interioriſq; confinium. Quidquid enim habemus in animo commune cum pecore, rectè dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim ſolum corpus exterior homo deputabitur, ſed adjunctâ quadam vitâ ſuâ, qua compages corporis, & omnes ſenſus vigent, quibus inſtructus eſt ad exteriora ſentienda. Aſcendentibus ergo introrſum quibusdam gradibus conſiderationis per animæ partes, ubi incipit aliquid occurrere, quod non ſit nobis commune cum beſtijs, ibi incipit ratio, ubi homo interior jam poſſit agnoſci. Rationis autem pars ſuperior æternis rationibus conſpiciendis, vel conſulendis adhæreſcit: portio inferior ad temporalia gubernanda deflectitur; & illa rationis intentio, qua contemplamur æterna, ſapientiæ deputatur, illa verò, qua bene utimur rebus temporalibus, ſcientiæ deputatur. cum verò diſſerimus de natura mentis humanæ, de una * quadam re diſſerimus: nec enim in hæc duo, quæ commemoravimus, niſi per officia geminamus. unde in forma

NB.

Fit ſatis cavillationi.

Nega-

Digitized by Google

NEgamus ergo cavilli conſequentiam, ad cujus probationem diſtingvimus, claritatis ulterioris gratiâ, majorem: ille appetitus eſt in anima: meliùs: eſt ab anima rationali, ut continente eminenter formaliter quidditativum eſſe animæ ſentientis, concedimus majorem: eſt ab anima, ut exprimente formaliter, realitérq; quidditativum eſſe rationalitatis in atomo, ultra quam nihil jam ulterioris perfectionis invenibile eſt, negamus majorem: & diſtingvimus etiam minorem: in eadem anima, quæ eſt eminenter formaliter multiplex, non poſſunt eſſe appetitus contrarij: negamus abſolutè minorem: in anima, quæ non eſt eminenter formaliter multiplex, ſed formaliter unica radix uniformìs motûs, aut operationis, concedimus minorem, & negamus conſequentiam.

Fit ſatis Confirmationi.

AD Confirmationem reſpondemus, quòd propter hoc teſtimonium, Didimus in lib. 3. de Spiritu *S*ancto docuit eſſe duas animas in homine, alteram intellectivam, quæ ibi vocatur ſpiritus, & ſenſitivam alteram, quæ vocatur anima. Joannes verò Wicleff, ſpiritu hæretico ductus, turpiſſimè erravit in hac diſtinctione animæ & ſpiritus: quòd conſtituerit in homine duas animas, aliam incorruptibilem, quæ vocatur ſpiritus, aliam autem corruptibilem, quæ vocatur anima. Contra quem diſputavit acerrimè Thomas Waldenſis lib. 1. doctrin. antiq. fidei cap. 32. nos igitur ad argumentum.

I. SATISFACTIO.

REſpondemus, quòd in teſtimonio S. Pauli, ſicut placet multis SS. Patribus, nomine animæ intelligitur ipſa anima intellectiva, nomine verò ſpiritûs, intelligitur Spiritus ſanctus, & ejus dona, quæ communicat animæ. Ita docet Irenæus lib. 5. contra Valentin. D. Chryſoſtom. hom. 11. ſuper eundem locum. D. Hieronym. in epiſt. ad Hediviam quæſt. 12. D. Aug. lib. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 20. Juxta illud divinum effatum: *non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Hoc eſt, non confirmabo Adam in Paradiſo & ſucceſſores filios in gratia, Spiritûs Sanctificatoris *Geneſ. c. 5.*

Digitized by Google

toris habituali dono: quia caro, animâ rationali, ut ſenſitivâ informata, hoc non petit, imò contra dicit, &c.

II.

RESpondemus 2. & meliùs cum Doctore Angelico ſuper eundem locum lect. 2. quòd in illo teſtimonio eadem anima intellectiva vocatur ſpiritus, & vocatur anima. Nam ſecundùm operationes, quæ non exercentur organo corporeo, vocatur ſpiritus, ut patet in anima ſeparata; ſecundùm verò operationes ſenſualitatis vocatur anima. Hæc doctrina eſt D. Aug. lib. de ſpiritu & anima. cap. 9. ubi docet, quòd anima rationalis, *dum intelligit, mens: dum vivificat corpus, anima; dum vult, ſpiritus nuncupatur.* eandem expoſitionem priùs nobis dictârat S. Gregorius Niſſen. lib. de creatione hominis cap 8. Ex quibus omnibus liquet jam, qualis fuerit ſecta Manichæorũ,& ſimul ſolutio ad cavillationem illorum.

Criſis Beatiſſimi Papæ Leonis IX. in Manichæorum impiam Sectam.

Leo PP. ſermon. 4. de nativit. Domini.

MAnichæi (inquit Sanctiſſimus Pontifex) ingreſſi prœruptam execrandi dogmatis viam, in qua nihil non tenebroſum, nihilq; non lubricum eſt, irruunt in profunda mentis præcipitia falſitatis. Nec aliquid ſolidum, cui innitantur, inveniunt, qui præter omnia Diabolici probra commenti in ipſo præcipuo obſervantiæ ſuæ (ſubaudi Nativitatis) feſto, ſicut proximâ eorum confeſſione participatum eſt: ut animi, ita & corporis pollutione lætantur: neq; in pudore, neq; in fide integritatem ſervantes. Unde In dogmatibus ſuis impij, & in ſacris inveniuntur obſcæni. Si omnes (concludit fortiter mellifluus Leo) quos catholica fides damnat, retractarentur errores, in alijs atq; alijs quiddam invenitur, quod à damnabilibus poſſit abjungi: in Manichæorum autem ſceleſtiſſimo dogmate prorſus nihil eſt, quod ulla ex parte tolerabile poſſit videri. Hæc Chriſti quondam Divinus Vicarius, Oraculum rationale. Ex quo inferre licet, quòd non ſit tolerabilis ſententia Pneumocoſmicorum, qui in quovis individuo naturæ humanæ duas animas reponunt, aliam ſenſitivam, quæ ſit eadem phyſicè & eſſen-

Digitized by Google

eſſentialiter in omnibus creaturis, & aliam rationalem diſtinctam realiter, ut inſanus Manes, Manichæorum alpha, cæcâ excogitavit phantaſiâ. Quocirca ſi ſapere Spiritûs Mundi fautores jam volunt, ſanctionem octavæ Synodi generalis nec Manichæo, nec Mannichæo percipere ſtudeant intellectu, ſed communi Doctorum ſenſu, & SS. Patrum cæleſti intelligentiâ, ad regimen ſanctæ matris eccleſiæ ipſis deſuper conceſsâ, ſint contenti.

§. 23.

Nunquid præter Manichæos alij Sectarij animationem Mundi aſſeruerunt?

§.

Reſp. cum S. Epiphanio hæreſ. 26. & 27. & S. Irenæo lib. 2. de hæreſib. Gnoſticos omnes illam affirmâſſe.

§.

UT lectori hoc pervium fiat aſſertum, Gnoſticorum ſectam hîc breviſſimo prememus calamo. Gnoſtici ſic dicti, quòd falſam ſcientiam jactarent, Nicolaitarum ſocij, vana inanis ſoni nomina & ipſi induxerunt. Noriam dixerunt fuiſſe Noë uxorem, quæ ſæpe arcam incenderit, ſupernasq; virtutes revelârit.

Alij Barcabbam quendam Prophetam introducunt. Alij illicitum quoddam poëma inferunt, quod vocatur Evangelium perfectionis, ab alijs Evangelium Evæ.

Appellati etiam ſunt alicubi Borboriani: alibi Coddiani: in Ægypto ſtratiotici, & Phibonitæ, ab alijs Zachæi, & Barbolitæ.

Vide. S: Aug. lib. de hæreſ. Tertull, adverſus Gnoſticos. Conſtantin. Hermenopoliū de opinion. hæret. in bibliotheca Patrum. Leontiū. Theodor. Petreum catalog. de ſect. Scultet. in medull. theol. Joan. Andreā Coppenſtein. in ſupplem. R. Card. Bellarmini, & alios.

Impietates ipſorum referuntur.

I.

UXores habuerunt communes.

II.

IMpudica fœminarum & virorum contrectatio nota fuit ejusdem profeſſionis in religione.

Digitized by Google

III.

SYnaxin ſacram turpitudine multiplicis coitûs polluerunt, comedentes, ac contingentes tum humanas carnes, tum immunditias.

IV.

LArga & opipera edulia, carnis eſum, & vini potum in congreſſibus appoſuerunt: hinc ad libidines itum; & vir quidem concedens alteri uxorem, ſurge dicebat, fac dilectionem cum fratre. Turpiſſimam commiſtionem ſecuta eſt blaſphemia. Nam mulier itémq; vir fluxum à maſculo in proprias manus aſſumentes, cœlum intuentes, & Patrem univerſorum (ut ajebant) precantes, offerentes, dicebant: tibi hoc donum corpus Chriſti. & ſic ipſum edebant, aſſumentes ſemen ſuum, dicebántq;: hoc eſt corpus Chriſti. hoc eſt Paſcha. ſic de fœmina, fluentibus menſibus, ſanguinem menſtruum collectum adorant, hunc dicentes eſſe ſangvinē Chriſti.

V.

VOluptatis gratiâ tantùm, non generationis liberorum, coïerunt. hanc enim averſati ſunt: unde ſi quæ fæmina prægnans facta fuit: detractum fætum in mortariolo piſtillo contuderunt, & admixto melle, ac pipere, & alijs quibusdam aromatibus ad avertendam nauſeam, participes facti ſunt pueri contuſi.

VI.

CArnis reſurrectionem negârunt.

VII.

AFfirmare auſi ſunt ipſum Salvatorem Chriſtum hanc turpitudinem ipſis revelaſſe; præſertim Joan. 6. ubi de eſu carnis & bibitione ſangvinis ſui concionatus eſt, ad quæ verba Capharnaitæ obſtupuerunt.

VIII.

ANimam dixerunt eſſe virtutem menſtrui ſanguinis, & genitalis ſeminis, quam colligentes, & edentes, ſive carnes, ſive olera, ſive panem, ſive aliud quid vorarent, gratificari ſe creaturis dixerunt, animam ab omnibus colligentes, & ad cœleſtia ſecum transferentes. Senſitivam animam & in animalibus, & in
NB. plantis, & in hominibus eandem eſſe uniformiter docuerunt. * En

Ma-

Digitized by Google

Magiſtros Pneumocoſmicorum impijſſimos duos hæreſiarchas cum omnibus aſſeclis eorum.

IX.

PRo numero 365. cœlorum coïerunt, & qui trecentos ſexaginta quinq; laſciviæ caſus aſcendit, totidẽmq; deſcendit, eaſdem turpitudines iterans, is ſe Chriſtum eſſe profeſſus eſt, quippè qui ex ſupernis deſcenderit per nomina trecentorum ſexaginta quinq; Principum.

Majorum Principum nomina fuêre.

Primi	*Cæli Jào Princeps.*
Secundi	*Sacla.*
Tertij	*Seth.*
Quarti	*Dachem.*
Quinti	*Eloarius.*
Sexti	*Jaldabaoth.*
Septimi	*Barlebo.*

Et Pater univerſorum & Dominus, idem per ſe Pater: & Chriſtus alius per ſe genitus, qui non ex Maria natus, ſed per Mariam oſtenſus ſit. verùm impijs Gnoſticorum erroribus jam miſſis.

§. 24.

Secundò petimus, an divinus Plato ſecundùm D. Thomam tres animas realiter diſtinctas aſſeruerit in quolibet homine?

Reſp. affirmat.

POnit Plato (dictat Doctor Angelicus) non eſſe eandem numero animam intellectivam, nutritivam, & ſenſitivam. Unde etſi anima ſenſitiva ſit forma corporis, non oportebit propter hoc dicere, quòd aliqua intellectualis ſubſtantia forma corporis eſſe poſſit. Ex his conſtat immeritò allegari Platonem à fautoribus Spiritûs mundi pro ipſorum hyperaſpiſte, niſi fortè nobis reſpondere velint

D. Th. c. cont. Gent. c. 58. & 1. p. q 76. a. 3. quodl. 1. q. 4. a. 1. & q. 11. a. 5. & opuſc 3. c. 90. 91. 92.

Digitized by Google

lint, S. Thomam libros Platonis non intellexiſſe, quod nullus ſenſatus Philoſophus audebit proferre: ergo &c.

§. 25.

Nunquid nutritiva, ſenſitiva, & intellectiva ſunt in homine tres animæ?

Reſp. Negat.

NOſtrum aſſertum eſt articulus definitus ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D.D. Stephano Epiſcopo Pariſienſi, cum conſilio cunctorum Doctorum S. Theologiæ Univerſitatis Sorbonicæ anno Domini 1226. & contrarius his verbis damnatur articulus: *dicere, quòd ex ſenſitivo & intellectivo non ſit unum per eſſentiam, ita ut eadem numero rationalitas Petri v.g. non ſit realiter eadem ejusdem animalitas, ſed ſit unum per appoſitionem formarum, realiter diſtinctarum, ſicut contingit cum intelligentia & orbe*: error.

I I.

D.Th.1. cont. Gent. cap 58. & 1. p. q.76. a. 3. in arg. ſed contra. S. Genadius, & alij PP. apud D.Aug. lib. de Eccleſiaſt. dogmat. in princip. tom. 3.

NOſtro aſſerto conſonat, quod (teſte D. Thoma) in lib. de Eccleſiaſticis dogmat. deciditur his verbis: *Neq; duas animas eſſe credimus in uno homine, ſicut Jacobus & alij Syrorum ſcribunt, unam animalem, qua animatur corpus, & immixta ſit ſangvini: & alteram ſpiritualem, qua rationem miniſtrat, ſed dicimus unam eandem eſſe animam in homine, qua & corpus ſua ſocietate vivificat, & ſemetipſam ſua ratione diſponat.* Hæc SS. Patres apud D. Thomam loco citato.

§. 26.

Quomodo oſtendit Angelicus Doctor impoſſibilitatem coëxiſtentiæ duplicis animæ in eodem numero corpore, ſeu uno ſubjecto?

loco cit.

QUa attribuuntur alicui eidem (ediſſerit S. Doctor) *ſecundùm diverſas formas, prædicantur de ſe invicem per accidens; album enim dicitur eſſe muſicum per accidens: quia Socrati accidit albedo & muſica: ſi igitur anima intellectiva, & ſenſitiva, & nutritiva ſunt*

ſunt diverſa forma in nobis, ea, qua ſecundùm has formas nobis conveniunt, de invicem prædicantur per accidens. ſed ſecundùm animam intellectivam dicimur homines, ſecundùm ſenſitivam animalia, ſecundùm nutritivam viventia: erit igitur hæc prædicatio per accidens, homo eſt animal: vel animal eſt vivum: eſt autem per ſe talis prædicatio, nam homo ſecundùm quòd eſt homo, eſt animal per eſſentiam, & animal, ſecundùm quod eſt animal, eſt eſſentialiter vivum: eſt igitur aliquid ab eodem principio animal, homo, vivum. ergo

TERGIVERSATIO.

DIces: ex eo, quòd illæ formæ ſint realiter diſtinctæ & diverſæ, non ſequitur prædicationes eſſe per accidens: ſufficit enim ſubordinatio, quæ illis à natura ineſt, ut prædicationes per ſe, & non per accidens dicantur.

IMPUGNATIO ANGELICI DOCTORIS.

ORdo ſenſitivi ad intellectivum, & nutritivi ad ſenſitivum, eſt ſicut ordo potentiæ ad actum. Nam intellectivum ſenſitivo, & ſenſitivum nutritivo poſterius ſecundùm generationem eſt: priùs enim generatione fit animal, quàm homo, ſi igitur iſte ordo faciat prædicationes prædictas eſſe per ſe, hoc non erit ſecundùm modum illum dicendi per ſe, qui accipitur ſecundùm formam, ſed ſecundùm illum, qui accipitur ſecundùm materiam & ſubjectum, ſicut dicitur ſuperficies colorata. Sed hoc eſt impoſſibile, quia iſto modo dicendi per ſe, id, quod eſt formale, prædicatur per ſe de ſubjecto, ut cùm dicimus: ſuperficies eſt alba. Vel numerus eſt par: & iterum, hoc modo dicendi per ſe, ſubjectum ponitur in definitione prædicati, ſicut numerus in definitione paris. Ibi autem è contrario accidit; non enim homo per ſe prædicatur de animali, ſed è converſo. & iterum non ponitur ſubjectum in definitione prædicati, ſed è converſo: non igitur prædicta prædicationes dicuntur per ſe ratione dicti ordinis. ergo &c. ibidem.

II. IMPUGNATIO.

AB eodem (proſequitur Angelicus Magiſter) *aliquid habet eſſe, & unitatem (unum enim conſequitur ad ens) cùm igitur à forma unaquaq; res habeat eſſe; à forma etiam habet unitatem: ſi igitur*

 in

in homine ponuntur plures animæ, ſicut diverſæ formæ, homo non erit unum ens, ſed plura. Nec ad unitatem hominis ordo formarum ſufficiet, quia eſſe unum ſecundùm ordinem, non eſt eſſe unum ſimpliciter, cum unitas ordinis ſit minima unitatum. ergo &c.

III. Præcedentis Confirmatio.

Omne, quod alicui advenit poſt eſſe completum, advenit ei accidentaliter, cùm ſit extra eſſentiam ejus. qualibet etiam forma ſubſtantialis facit ens completum in genere ſubſtantiæ: facit enim ens actu, hoc aliquid: quidquid igitur poſt primam formam ſubſtantialem advenit rei, accidentaliter advenit. cùm igitur anima nutritiva ſit forma ſubſtantialis (vivum enim ſubſtantialiter prædicatur & de animali) ſequetur, quòd anima ſenſitiva adveniat accidentaliter, & conſequenter intellectiva; & ſic neq; animal, nec homo ſimpliciter ſignificabit unum, neq; aliquod genus, neq; ſpeciem in prædicamento ſubſtantiæ.

IV.

Si homo ſecundum Platonis ſententiam non eſt aliquid ex anima & corpore compoſitum, ſed eſt anima utens corpore, aut hoc intelligitur ſolùm de anima intellectiva, aut de animabus tribus (ſi tres ſunt) ſive de duabus earum. ſi de tribus, vel duabus, ſequitur, quòd homo non ſit unum, ſed ſit duo, vel tria: eſt enim tres animæ, vel ſaltèm duæ. ſi autem hoc intelligitur de anima intellectiva tantùm, ita ſcilicet, ut intelligatur anima ſenſitiva eſſe forma corporis, & anima intellectiva utens corpore animato, & ſenſitivo, ſit homo, ſequentur adhuc inconvenientia. ſcilicet, quòd homo non ſit animal, ſed utatur animali: nam per animam ſenſitivam aliquid eſt animal: & quòd homo non ſentiat, ſed utatur re ſentiente: quæ cùm ſint inconvenientia, impoſſibile eſt, tres animas, ſubſtantiâ differentes, eſſe in nobis intellectivum, ſenſitivum & nutritivum.

V.

Ex duobus, aut pluribus non poteſt fieri unum, ſi non ſit aliquid uniens, niſi unum eorum ſe habeat ad alterum, ut actus ad potentiam. ſic enim ex materia & forma ſit unum, nullo vinculo extraneo eas colligante. ſi autem in homine ſint plures animæ, quæ non ſe habent ad invicem

vicem ſicut materia & forma, ſed omnes ponantur, ut actus quidam, & principia actionum, oportet, ſi uniantur ad faciendum aliquid unum, puta hominem, vel equum, quòd ſit aliquid formaliter uniens: ſed hoc non poteſt eſſe corpus, cùm magis corpus uniatur per animam, cujus ſignum eſt, quòd decedente animâ, corpus diſſolvitur. Relinquitur igitur, quòd oportet aliquid formalius eſſe, quod faciat ex illis pluribus unum: & hoc magis erit anima, quàm illa plura, quæ per ipſum uniuntur. Si igitur hoc iterum eſt habens partes diverſas, & non eſt unum ſecundùm ſe, oportet adhuc eſſe aliquod uniens. Cùm igitur non ſit abire in infinitum, oportet devenire ad aliquid, quod ſit ſecundùm ſe unum: & hoc maximè eſt anima. Oportet igitur in uno homine, vel animali unam tantùm animam eſſe.

VI.

SI id, quod eſt ex parte animæ in homine, eſt ex pluribus congregatum: oportet, quòd, ſicut totum congregatum ſe habet ad totum corpus, ita ſingula ad ſingulas partes corporis, quod etiam à poſitione Platonis non diſcordat. Ponebat enim animam rationalem in cerebro, nutritivam in hepate, concupiſcibilem in corde. hoc autem apparet eſſe falſum dupliciter: primò quidem, quia aliqua pars eſt animæ, quæ non poteſt attribui alicui parti corporis, ſcilicet intellectus, qui non eſt pars alicujus partis corporis. Secundò, quia manifeſtum eſt, quòd in eadem parte corporis apparent diverſarum partium animæ operationes, ſicut patet in animalibus, quæ deciſa vivunt, quia eadem pars habet motum, & ſenſum, & appetitum, quo movetur: & ſimiliter eadem pars plantæ deciſa nutritur, augetur, & germinat; ex quo apparet, quòd diverſæ partes animæ in una & eadem parte corporis ſint. Non igitur ſunt diverſæ animæ in nobis, diverſis partibus corporis attributæ.

VII.

DIverſæ vires, quæ non radicantur in uno principio, non impediunt ſe invicem in agendo, niſi fortè earum actiones eſſent contrariæ, quod in propoſito non contingit. videmus autem, quòd diverſæ operationes animæ impediunt ſe, cùm enim una eſt intenſa, altera remittitur. Oportet igitur, quòd iſtæ actiones, & vires, quæ ſunt eorum proximæ principia, reducantur in unum principium; hoc autem principium non poteſt eſſe corpus; tum quia aliqua actio eſt, in qua non communicat corpus, ſcilicet

Digitized by Google

licet intelligere: tum, quia ſi principium harum virium & actionum eſſet corpus, in quantum hujuſmodi, invenirentur in omnibus corporibus, quod patet eſſe falſum. & ſic relinquitur, quòd ſit principium earum forma aliqua una. per quam hoc corpus eſt tale corpus, qua eſt anima. Relinquitur igitur, quòd omnes actiones animæ, quæ ſunt in nobis, ab ipſa procedunt: & ſic non ſunt in nobis plures animæ. Hæc Doctor Angelicus, cujus demonſtrationes Pneumocoſmici non intellexerunt, quia ne legerunt quidem. Si autem à nobis petas, quas addant demonſtrationes diſcipuli D. Thomæ, & reliqui Doctores Scholaſtici, ad perſuadendam unitatem formalem animæ in homine? Reſpondemus: easdem. Nullus enim eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, cælitùs inſtructum D. Thomam. Nobis igitur ſufficiant ejus demonſtrationes, & Doctorum reliquas tibi ſervato reliquias.

§. 27.

Quomodo anima rationalis ſenſitivam continet & vegetativam?

D. Th. 1. p. q. 76. a. 3. 1. cont. Gent. cap. 58. quod. lib. 1. q. 4. a. 1. & q. 11. a. 5. & opuſc. 3. cap. 90. 91. 92. 367. & q. 65. a. 6. Ariſt. 10. metaph. text. 26. tom. 3.

QUomodo hoc contingat, dictat Angelicus Doctor, de facili conſiderari poteſt, ſi quis differentias ſpecierum & formarum attendat. Inveniuntur enim rerum ſpecies & formæ differre ab invicem ſecundùm perfectius, & minus perfectum. Sicut in rerum ordine animata perfectiora ſunt inanimatis, & animalia plantis, & homines animalibus brutis, & in ſingulis horum generum ſunt gradus diverſi. & ideo Ariſtot: in 8. metaph tex. 11. tom. 3. aſſimilat ſpecies rerum numeris, qui differunt ſpecie ſecundum additionem, vel ſubtractionem unitatis. & in lib. 2. de anima. tex. 30. & 31. comparat diverſas animas ſpeciebus figurarum, quarum una continet aliam, ſicut pentagonum continet tetragonum, & excedit. ſic igitur anima intellectiva continet ſuâ virtute, quidquid habet anima ſenſitiva brutorum, & nutritiva plantarum: ſicut ergo ſuperficies, quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram eſt tetragona, & per aliam pentagona (quia ſuperflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur) ita nec per aliam animam Sortes eſt homo, & per aliam animal, ſed per unam & eandem. Hæc D. Thomas, & hæc de primo dialogiſmo.

DIA-

Digitized by Google

DIALOGISMUS II.

§. 28.

Quid Neoterici dicunt Spiritûs Mundi fautores?

Ex hypotheſibus illorum capito mentem.

REFERTUR HYPOTHESIS I.

PRimò dicunt: *Spiritum mundi eſſe formam ſubſtantialem, & indiviſibilem, exiſtentem in toto, & in qualibet parte hujus univerſi, quod ex illo ſimul & materia, velut magnum quoddam animal eſſentialiter phyſicéq; componitur. Magnum hoc animal lapides habet loco oſſium, ut ſcribit Plato: rivos loco venarum: arbores loco pilorum. animalia inter ejus capillos nutriuntur, ſicut vermiculi. Hic eſt ille Spiritus Mundi, quem pene omnes Philoſophiæ antiquioris Principes admiſerunt, tam Græci, quàm Ægyptij & Caldæi, de quo jam olim cecinit Virgilius:*

- - Cœlum, ac terras, campóſq; liquentes,
Lucentémq; globum lunæ Titaniáq; aſtra,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

II.

SEcundò ajunt, hanc animam eſſe principium effectivum, & ab illa pleraſq; naturales actiones in hoc univerſo procedere. Hæc juxta illos rugit in leone, in lupo ululat, balat in ove, in cane latrat, germinat in herba, volat in muſca, natat in piſce, repit in verme. Omnia deniq; tam quæ animata, quàm quæ inanimata vulgò dicuntur, tanquam ſubſtantialis, & vitalis actus informat. NB.

III.

TErtiò eandem mundi animam in homine admittunt, non excluſâ tamen animâ rationali, cui illam docent eſſe ſubordinatam, & in corpore organizato præſuppoſitam.

IV.

QUartò docent conſequenter, nullam dari inter quaſcunq; res, rationis expertes, diſtinctionem eſſentialem, ſeu ſpecificam, ſed omnes tantùm accidentaliter differre, & ſolo numero juxta materiarum ſingularitates diſcerni.

Digitized by Google

V.

QUintò, *illam animam eſſe ubiq; indifferentem, ſeu habere potentiam, ſaltèm remotam, ad eliciendas quaſcunq; operationes. exemp. gr. Leonis aut vermis, ignis aut ligni. Lapidibus præcisè tribuere denominationem ſubſtantialis compoſiti, plantis verò addere gradum viventis vegetativi, animalibus prædicatum ſenſitivi.* Hæc jam pugnat cum 2. hypotheſi, quoad illa verba: *tanquam vitalis actus informat*: ex quibus ſequitur, quòd nullum eſt compoſitum ſub cœlo, quod non ſit actualiter vivum, de quo infra.

NB.

V I.

SExtò *docerent etiam procul dubio, gradum rationalitatis in homine ab eadem anima poſſe provenire, niſi animas rationales per ſingula hominum individua numero diſtinctas, ex fidei præcepto admittere cogerentur. Eſt ergo Spiritus Mundi, juxta illos, velut quidam Protheus in mille formas, rerumq; ſpecies transformabilis.*

V I I.

DEniq; *aſſerunt, ſpiritum hunc mundi ex ſe ad quaſcunq; operationes indifferentem, per accidentia determinari, ut hîc & nunc talem, & non aliam operationem, eliciat; qui quidem ſpiritus ſic determinatus in hoc, vel illo ſubjecto, & à ſemetipſo alibi exiſtente quodammodo differens, ſive ſub alijs accidentibus virtualiter replicatus, Archæus ab ipſis nominatur.* Hactenus Spiritûs mundi fautores in tract. brevi de Typho generis humani cap. 11.

Prædictarum hypotheſium propugnatores referri poſſunt Triſmegiſtus, Hippocrates lib. περὶ ἀρχῶν n. 1. ubi ſic: *videtur* (inquit) *ſanè mihi id, quod calidum vocamus, immortale eſſe, & cuncta intelligere, & videre, & audire & ſcire omnia, tum præſentia, tum futura &c.* & lib. 2. de diæta: *inquo* ſic determinat: *nihil quidem omnino perit, neq; oritur, quod priùs non erat, &c.* Plato, & nonnulli platonici: Paracelſus, Spagyrus, Crollius in admonit. Baſil. ſuæ chymicæ, pag. 65. Thomas Campanella lib. 4. de ſenſu rerum & magia, & in Philoſophia ſenſibus demonſtrata pro defenſione Bernardini Teleſij anno Domini 1591. & nonnulli alij Philoſophaſtri, qui mente propendent cæcâ in hunc dicendi Philoſophorum edentulum modum, Manichæorum reapſe, & Gnoſticorum abominabilem Sectam, ut inſinuatum eſt.

§. 29.

Digitized by Google

§. 29.

Primæ hypotheſis impugnatio 1. producitur.

SAnctus Thomas libros Platonis & legit, & intellexit:. ſed ſecundùm D. Thomam Plato tres animas reales, realiter diſtinctas reali numero, ponit in unoquoq; homine: ergo Spiritus mundi non eſt forma indiviſibilis, & tota in toto, & tota in qualibet creatura, univerſi parte, ſecundùm Platonem. major eſt certa, niſi aliquis Pneumocoſmicus, ſpiritu tumens hæretico, dicat S. Doctorem libros Platonis non intellexiſſe, quod eſt contra illud, quod habetur in Eccleſiaſtica hiſtoria ipſius Sancti, ſcilicet: *Sodali ſuo F. Reginaldo dicere ſolebat, quidquid ſciret, non tam ſtudio, aut labore ſuo peperiſſe, quàm divinitùs traditum accepiſſe.* Minor eſt expreſſa mens S. Doctoris, ut ex allegato patet teſtimonio §. 24. conſequentia eſt legitima, & maximè, ſi innitamur verbis illis: *hic eſt ſpiritus ille &c.*

I I.

Principio cœlum, ac terras, campóſq; liquentes;
Lucentémq; globum Lunæ, Titanniáq; aſtra
Spiritus intus alit, totámq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, Pecudúmq; genus, vitæq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus,
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus, - - -

Virgil. 5. Æneid. verſ. 724.

Tum ſic argumentor:

SPiritus Mundi eſt ſubſtantia rationalis juxta illud primæ hypotheſis: *Mens agitat molem &c.* & illud: *hic eſt ſpiritus ille, quem omnes &c.* ergo in quolibet homine ſunt duæ animæ rationales. Probatur conſequentia: de fide eſt (ut oſtendimus ex Sacra Scriptura) unumquodq; individuum naturæ humanæ conſtare non ſolùm ex materia hac, v. g. A. phyſico numero diſtinctâ realiter à materia B. verùm & hacce anima C. numero ſubſtantivo reali realiter diſtinctâ ab alia anima rationali D. ſed ſecundùm antiquos Pneumocoſmicos anima mundi (quæ vocatur Hecate, teſte D. Aug. ſerm. 141. cap.

cap. 7.) eſt hæc numero Hecate, & hæc numero Hecate eſt ſubſtantia rationalis, ſecundùm eosdem, & hæc numero ſubſtantia rationalis Hecate, ſpiritus mundi, eſt tota in toto homine, & tota in qualibet parte hominis, utpote indiviſibilis, quia ſpiritualis, ac proinde intellectualis: duæ ergo animæ rationales ſunt in quolibet homine, videlicet & hæc Hecate, quæ eſſentialiter eſt rationalis, ut patet ex hypotheſibus, ex Auguſtino, ex verbis Poëtæ, & alijs &c. & ſimul anima rationalis, quam Deus creat ad imaginem & ſimilitudinem ſuam in cujúsq; hominis generatione; atquì octava Synodus generalis anathemate innodavit omnes aſſerentes, in quovis homine duas eſſe animas ſubſtantiâ rationales (ipſis Pneumocoſmicis Judicibus, & ſanctionis Concilij expoſitoribus inconſideratis) quicunq; ergo aſſertivè defendit animam mundi in ſenſu Platonicorum, Hermeticorum, Campanellæ, Virgilij, & aliorum, eſt formaliſſimus hæreticus.

III.

Mundus eſt compoſitum ſubſtantiale, vivens, ſenſitivum, rationale, ſeu intellectuale, ſecundùm omnes Philoſophiæ antiquioris Principes, & veros Pneumocoſmicos, ut conſtat ex illis verbis 1. hypotheſis: *hic eſt ſpiritus ille*, de quo Virgilius, Triſmegiſtus, Plato & alij: *Mens agitat &c.* cum D. Auguſtino; ergo mundus magnus eſt homo. antecedens eſt Pneumocoſmicorum hypotheſis, mente virgilianâ roborata. conſequentia eſt evidens à definitione ad definitum: omnis namq; homo eſt compoſitum ſubſtantiale, vivens, ſenſitivum, rationale, mundus ergo homo eſt. Tunc ſic: ſi mundus homo eſt, ergo antequam Adam formaretur, creatus fuerat jam homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei, nimirum in primo die creationis rerum: ſed hoc (ut probatum eſt ſupra) eſt contra prima elementa ſacræ paginæ, nec non contra Sacros Canones. ergo &c. His juxta antiquioris Philoſophiæ Principes præmiſſis, ut in 1. haud obſcurè inſinuatur hypotheſi, ſic diſcurrimus.

IV.

Mundus, utpote compoſitum ſubſtantiale, vivens, ſenſitivum, rationale, eſt ad imaginem Dei: ergo homo. antecedens non poteſt negari, quia alias homo non eſſet ad imaginem Dei, quà rationalis ſubſtantia. conſequentia eſt optima. Tunc

ſic:

ſic: mundus eſt homo: ergo à Chriſto redemptus. conſequentia liquet, quia nullus eſt homo, pro quo Chriſtus non fuerit mortuus. Redemptus eſt mundus? peccavit ergo. nullus quippe redimitur, niſi qui ſub alterius jugo quoquo modo ſervit. Redemptus eſt mundus, quia peccavit? mori ergo debet mundus. conſequentia eſt de fide: quoniam ſtatutum eſt hominibus ſemel mori propter peccatum. morietur ergo Mundus, quia homo peccator eſt. Mundus mori debet? ergo in morte ejus ſeparabitur anima à corpore. conſequentia eſt evidens, quia in compoſitis rationalibus mors eſt aliud nihil, quàm ſeparatio realis formæ rationalis à corpore vivificabili, ut conſiderare licet in triduana Chriſti morte, quo tempore anima rationalis illius ſanctiſſima non fuit in corpore, quia aliàs Chriſtus mortuus non fuiſſet, quod eſt contra expreſſum articulum fidei: *mortuus & ſepultus eſt &c.* Quamdiu enim eſt vera hæc propoſitio: hæc anima rationalis A. v. g. eſt in proprio corpore per phyſicam informationem, tamdiu eſt verum dicere: hic homo vivit. ergo &c. Mortuus eſt mundus? denuò petimus, quorſum ab Angelis ducetur ipſius anima? num ad cœlos? nequaquam. Interea quippe temporis commorientur & cœli, eò quòd una ſit vita, unicus ſpiritus, unica anima rationalis, in cunctis creaturis. Demigrare ergo cogetur ad alium mundum? Aſt alius non datur mundus: maneat ergo neceſſe eſt Mundi anima in corpore mundo. Quid? manet anima mundi in mundo? inſeparabilis ergo eſt anima mundi à corpore mundo: ac proinde immortalis erit mundus, quod eſt contra reſolutionem in antecedentibus appoſitam.

V.

MUndus mori debet, quia peccavit? præſcitus ergo eſt mundus. Conſequentia legitimè infertur, quia nullus Parochus illum adhuc baptizavit in nomine SS. Triados. Neq; ullus unquam Capellanus à commiſſo abſolvit peccato. Bene, bene! filius iræ eſt mundus totus quantus propter peccatum? aliquando ergo ille peccavit. aſt quando? nunquid antequam Adamus noſter parens malum probâſſet? hoc autem non: quia aliàs Adamus non fuit primus homo, qui in mundo peccavit, quod expreſsè militat contra ſacram Scripturam. Si poſt Adæ peccatum mundus conſequenter peccavit: iterum quærimus, an tanquam filius Adæ pec-

carit? ſed & hoc non: quia ille quinq; diebus eſt ſenior Adamo, ac proinde hujus nequit eſſe filius. Deinde mundus creatus, Adam formatus ex limo legitur: non ergo ut hujus filius peccavit. Peccatum ergo Mundi eſt perſonale: perſonale? ergo capitale; verùm quomodo capitale acephalo ineſt mundo peccatum? ſi nullus peccat, niſi qui mundum, dignum pedum ſcabellum, indignè ponit ſupra caput, quomodo mundus potuit peccare, ſuper purum nihilum divinitùs collocatus?

V I.

MUndus ſubſtantia corporea & rationalis caput non habet? implicat ergo mundum peccare: atquì implicat ſubſtantia corporea rationalis, quæ ſit impeccabilis naturaliter, implicat ergo, quòd ſpiritus mundi ſit ſubſtantia rationalis, de qua Virgilius: *Mens agitat molem.* & quòd non ſit peccabilis. Si implicat, quòd mundus ſit ſubſtantia impeccabilis, implicat etiam, quòd careat ſuâ arce capitali: ſed iſtâ jure naturæ orbicularis privatus deprehenditur. ergo &c. Ex his rectè infertur, nullum Pneumocosmicum validè poſſe abſolvere mundum immundum à ſorde peccati. ſed quare? quia peccatum mundi eſt procul dubio caſus reſervatus ignoto Deo. Bene, bene! ſi ita eſt, tranſeat. permittamus jam deliris ſpiritûs mundi fautoribus cum ſuo Mercurio, non rectè intellecto, aras erigere ignoto DEO.

V I I.

MUndus eſt compoſitum ſubſtantiale, vivens, ſenſitivum, rationale: ergo eſt perſona. conſequentia patet: quia perſona nihil eſt aliud, quàm rationalis naturæ individua ſubſtantia: mundus autem eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia, utpote unicus unitate ſingularis formæ, per ſe conſtituentis unum hoc ſubſtantiale rationale: ergo perſona: ergo homo; ergo proximus noſter: ergo frater noſter per charitatem: eundem enim Patrem in cœlis & Redemptorem JESUM cuncti habemus in terris: tenentur ergo omnes filij Adam diligere mundum dilectione ſupernaturali, ſicut ſemetipſos. Ex his ſic argumentamur:

V I I I.

Joan. 1. c. 3. O*Mnis, qui odio habet fratrem ſuum, homicida eſt*; ac proinde, qui non diligit, manet in morte: ergo quicunq; odio habet mun-

mundum, homicida eſt: & qui non diligit illum, ſicut ſemetipſum, manet in morte, id eſt, peccat mortaliter. Antecedens eſt de fide, & conſequentia eſt legitima. Ergo Chriſtus peccavit mortaliter. patet conſequentia, quia reapſe mundum elementarem, ſicut ſemetipſum, non dilexit ex charitate: unde Joannes 1. c. 2. inquit: *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum: non eſt charitas patris in eo.* Chriſtus peccavit mortaliter? ergo damnatus eſt: ergo & omnes filij Adæ, qui non diligunt mundum, ſicut ſemetipſos, etiam damnantur. Patet conſequentia, quia nullus in confeſſione ſacramentali uſq; in horam banc ſe accuſavit, quòd mundum elementarem non dilexerit, tanquam ſeipſum ex charitate. ergo &c. Ex quo rectè concludimus, ſolos Pneumocoſmicos ſalvari, quia ipſi ſoli ſciunt diligere mundum ex charitate. Enim verò nobis videtur, quòd neq; ipſi ſalutem conſequantur, eò quòd illorum nemo hactenus ſciverit, an teneatur diligere mundum, mulos & aſinos, mures & porcos, truncellos & ranas, ex charitate: ſed talis ignorantia, etſi craſſa nimis, illos à culpa non excuſabit; moriuntur ergo & illi in peccato mortali, ac proinde ſine redemptione, non tamen ſine redemptore ſuo, in inferno damnati, æternùm cruciabuntur. ô nefandum ſectæ antecedens, ex quo per immediatam conſequentiam juſtitiæ author arguitur iniquitatis, ac tandem reprobatur!

IX.

SI mundus eſt ſubſtantia vivens, ſenſitiva, & rationalis, procul dubio maſculus eſt, aut fœmina: ſi maſculus: de ipſo poſſumus dicere: non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. ſi adjutorium addas, duos ergo viſibiles mundos introducas, unum maſculum, fœminam alterum, neceſſe eſt. Tunc ſic: mundus maſculinus, utpote à Deo immediatè per creationem, non eſt infœcundus, aliàs imperfectus, & ſtupor naturæ comprobabitur, quod de operibus, abſolutis à Deo, dici non debet. Fœmineus etiam ob eandem cauſam ſterilis eſſe non poteſt. Ille igitur plures generare mundos, & iſte eoſdem concipere, atq; naturaliter parere poterit. innumeros ergo dicamus jam exiſtere mundos. Quod quàm ſtolidum ſit, ex prudenti terminorum apprehenſione comprehenditur: ergo &c. A multis alijs argumentis,

tis, abſurda contrariæ ſectæ detegentibus, conſultò hìc abſtinemus, acturi poſtea in lib. de cœlo contra Ariſtotelem, ab aliquibus nondum intellectum. Veruntamen, prius quàm primæ hypotheſi valedicamus, explorare oportet, & in trutina librare rationis, quantum ponderat medulla illorum verborum: *hic eſt ille ſpiritus, quem pene omnes Philoſophiæ antiquioris Principes admiſerunt, tam Græci, quàm Ægyptij, & Caldæi, de quo Virgilius &c.*

LIBRATIO.

ASſignata verba (ſalvâ pace neotericorum) falſum ſupponunt: unde, quia vana, nihil ponderant.

§.

APODIXIS.

QUæ ſecta, aut opinio præſtantiores habet authores, & vetuſtior eſt, ea & verior eſt: noſtra autem opinio vetuſtior eſt, præſtantiorésq; habet Authores: contrariâ ergo ſectâ noſtra verior eſt; ac proinde hæc ſola tenenda. probatur minor quoad primam partem: nam Moyſes Princeps Philoſophiæ Chriſtianæ, Gentilium quoq; teſtimonio, omnibus Græcorum ſapientibus, ſive Poëtis, ſive hiſtoricis, ſive Philoſophis, ſive Legiſlatoribus eſt antiquior: unde circa Ogygis & Inachi tempora, qui Græcorum hominum terrigenæ exiſtimantur, Moyſis meminerunt, tanquam ducis gentis Judaicæ, Polemon græcarum rerum ſcriptor, Appion, Ptolomæus Mendeſius, Hellanicus, & Philochorus Scriptores Attici, Caſtor, Philo item Judæus, Joſephus, Diodorus, & alij.

Contra ætas Platonis & Pythagoræ eſt recentior. nihil enim ante Olympiadas accuratè ſcriptum eſt: & qui poſt ſcripſerunt, à Moyſe multa mutuati ſunt, quod oſtenditur exemplis Orphei, Virgilij, Sophoclis, Pythagoræ, Platonis & Homeri. Noſtra ergo opinio vetuſtior eſt: ergo quoad hanc partem & verior eſt.

Quoad ſecundam partem facillimè etiam oſtenditur: noſtra enim opinio Authores habet Moyſen, alióſq; Prophetas, quinimò ipſum Chriſtum, æternam veritatem cum Patre & Spiritu ſancto, qui clariſſimè dictavit quatuor Evangeliſtis, non eſſe unam ani-

Digitized by Google

animam in cunctis hominibus, ac proinde ſpiritum mundi eſſe nullum, ſed quemq; hominem ſuam propriam habere animam. Contra pro ſecta contraria ſanctè non poſſunt allegari, niſi ridiculi Poëtæ, ut, qui Deorum originem ducunt ex aqua: qui Deorum pugnas, amores & ærumnas procaciter referunt. Quibus ridiculoſiores ſunt nonnulli Philoſophaſtri tam antiqui, quàm moderni. Præſtantiores ergo ſunt noſtræ ſententiæ Authores, quàm ſectæ contrariæ: igitur noſtra opinio, utpote fidei principijs, ſive per mediatas, ſive per immediatas conſequentias innitens, firmiſſimè tenenda eſt, atq; adeo uſq; ad aras propugnanda. Vana igitur ſunt, & ſine ſalis grano, quippè ſine veritatis eſſentia, illa verba: *antiquioris Philoſophiæ Principes.* prudentiùs quidem, ac ſanctiùs ſcriptum fuiſſet: *antiquioris inſipientiæ Principes.* ut patet in Manichæis, & Gnoſticis, Pneumocoſmicorum tutelaribus Dijs, qui ſine donis ſcientiæ & ſapientiæ, ac proinde ſine Spiritu Dei, ſacram tractantes ſcripturam, impij corruptores & Diabolici impugnatores extiterunt. ergo &c.

§. 30.
II. HYPOTHESIS IMPUGNATIO. I.

DEus poteſt redigere in purum nihilum quamcunq; partem univerſi, v. g. totum elementum aëreum; ita ut nil maneat quoad materiam primam, nihil quoad formam illius ſubſtantialem, nihil quoad minimum accidens: ergo ſecunda hypotheſis omnino eſt falſa. antecedens à nullo Chriſtiano Philoſopho negabitur, & minùs à theologo. Conſequentia probatur: ſi eadem eſſet anima numero in qualibet parte univerſi, ita ut ſit tota in toto, & tota indiviſibiliter indiviſibilis in qualibet parte totius, implicaret utiq; annihilatio unius partis univerſi quoad materiam & formam ſubſtantialem cum omnibus ejuſdem elementi accidentibus, ſine abſoluta annihilatione formæ ſubſtantialis totius univerſi in toto univerſo, ob naturalem formæ indiviſibilitatem; atquì poteſt Deus aërem totum deſtruere quoad omnia eſſentialia phyſica, ex quibus ſubſtantialiter conſtituitur, & accidentia ſimul, ex quibus accidentaliter integratur, quin deſtruere teneatur alia elementa, ut in confeſſo eſt apud omnes Philoſophos Chriſtianos; ergo evidens eſt,

Digitized by Google

tis, abſurda contrariæ ſectæ detegentibus, conſultò hic abſtinemus, acturi poſtea in lib. de cœlo contra Ariſtotelem, ab aliquibus nondum intellectum. Veruntamen, prius quàm primæ hypotheſi valedicamus, explorare oportet, & in trutina librare rationis, quantum ponderat medulla illorum verborum: *hic eſt ille ſpiritus, quem pene omnes Philoſophia antiquioris Principes admiſerunt, tam Græci, quàm Ægyptij, & Caldæi, de quo Virgilius &c.*

LIBRATIO.

ASſignata verba (ſalvâ pace neotericorum) falſum ſupponunt: unde, quia vana, nihil ponderant.

§.

APODIXIS.

QUæ ſecta, aut opinio præſtantiores habet authores, & vetuſtior eſt, ea & verior eſt: noſtra autem opinio vetuſtior eſt, præſtantiorésq; habet Authores: contrariâ ergo ſectâ noſtra verior eſt; ac proinde hæc ſola tenenda. probatur minor quoad primam partem: nam Moyſes Princeps Philoſophiæ Chriſtianæ, Gentilium quoq; teſtimonio, omnibus Græcorum ſapientibus, ſive Poëtis, ſive hiſtoricis, ſive Philoſophis, ſive Legislatoribus eſt antiquior: unde circa Ogygis & Inachi tempora, qui Græcorum hominum terrigenæ exiſtimantur, Moyſis meminerunt, tanquam ducis gentis Judaicæ, Polemon græcarum rerum ſcriptor, Appion, Ptolomæus Mendeſius, Hellanicus, & Philochorus Scriptores Attici, Caſtor, Philo item Judæus, Joſephus, Diodorus, & alij.

Contra ætas Platonis & Pythagoræ eſt recentior. nihil enim ante Olympiadas accuratè ſcriptum eſt: & qui poſt ſcripſerunt, à Moyſe multa mutuati ſunt, quod oſtenditur exemplis Orphei, Virgilij, Sophoclis, Pythagoræ, Platonis & Homeri. Noſtra ergo opinio vetuſtior eſt: ergo quoad hanc partem & verior eſt.

Quoad ſecundam partem facillimè etiam oſtenditur: noſtra enim opinio Authores habet Moyſen, alióſq; Prophetas, quinimò ipſum Chriſtum, æternam veritatem cum Patre & Spiritu ſancto, qui clariſſimè dictavit quatuor Evangeliſtis, non eſſe unam ani-

animam in cunctis hominibus, ac proinde ſpiritum mundi eſſe nullum, ſed quemq; hominem ſuam propriam habere animam. Contra pro ſecta contraria ſanctè non poſſunt allegari, niſi ridiculi Poëtæ, ut, qui Deorum originem ducunt ex aqua: qui Deorum pugnas, amores & ærumnas procaciter referunt. Quibus ridiculoſiores ſunt nonnulli Philoſophaſtri tam antiqui, quàm moderni. Præſtantiores ergo ſunt noſtræ ſententiæ Authores, quàm ſectæ contrariæ: igitur noſtra opinio, utpote fidei principijs, ſive per mediatas, ſive per immediatas conſequentias innitens, firmiſſimè tenenda eſt, atq; adeo uſq; ad aras propugnanda. Vana igitur ſunt, & ſine ſalis grano, quippè ſine veritatis eſſentia, illa verba: *antiquiorũ Philoſophiæ Principes.* prudentiùs quidem, ac ſanctiùs ſcriptum fuiſſet: *antiquiorũ inſipientiæ Principes*, ut patet in Manichæis, & Gnoſticis, Pneumocoſmicorum tutelaribus Dijs, qui ſine donis ſcientiæ & ſapientiæ, ac proinde ſine Spiritu Dei, ſacram tractantes ſcripturam, impij corruptores & Diabolici impugnatores extiterunt. ergo &c.

§. 30.
II. Hypotheſis Impugnatio. I.

DEus poteſt redigere in purum nihilum quamcunq; partem univerſi, v.g. totum elementum aëreum; ita ut nil maneat quoad materiam primam, nihil quoad formam illius ſubſtantialem, nihil quoad minimum accidens: ergo ſecunda hypotheſis omnino eſt falſa. antecedens à nullo Chriſtiano Philoſopho negabitur, & minùs à theologo. Conſequentia probatur: ſi eadem eſſet anima numero in qualibet parte univerſi, ita ut ſit tota in toto, & tota indiviſibiliter indiviſibilis in qualibet parte totius, implicaret utiq; annihilatio unius partis univerſi quoad materiam & formam ſubſtantialem cum omnibus ejusdem elementi accidentibus, ſine abſoluta annihilatione formæ ſubſtantialis totius univerſi in toto univerſo, ob naturalem formæ indiviſibilitatem; atquì poteſt Deus aërem totum deſtruere quoad omnia eſſentialia phyſica, ex quibus ſubſtantialiter conſtituitur, & accidentia ſimul, ex quibus accidentaliter integratur, quin deſtruere teneatur alia elementa, ut in confeſſo eſt apud omnes Philoſophos Chriſtianos; ergo evidens eſt,

Digitized by Google

quòd non ſit eadem indiviſibilis forma in toto mundo, & in qualibet parte ejus; ac per conſequens falſa eſt ſecunda hypotheſis, quæ ſupponit eandem numero & indiviſibilem phyſicè formam eſſe principium effectivum omnium operationum cujuslibet viventis, ſeu partis univerſi. ergo &c.

II.

DEus poteſt aquilam, v.g. ponere extra mundum hunc, & in ſuo eſſe naturali cum omnibus accidentibus naturalibus conſervare in ſpatijs imaginarijs: ſed hoc eſſet impoſſibile Deo, ſi eadem eſſet numero anima & indiviſibilis phyſicè in toto univerſo, & tota in qualibet parte ejus: ergo evidens eſt, quòd anima aquilæ eſt realiter diſtincta à qualibet alterius individui ſubſtantialis forma ſubſtantiali. Non ergo eſt eadem numero forma, quæ repit in verme, & quæ volat in aquila, ut ſectarij ſupponunt, niſi velimus formā mundi facere immenſam, ut Deus, & non immerſam in materia, quod eſt delirium primæ magnitudinis, Morionum capite dignum, ut in ſuperioribus inſinuatum eſt. ergo &c.

III.

SI Deus annihilaret aërem, qui eſt expanſus inter cœlum & terram, procul dubio poſſet in vacuo, quod eſſet tunc inter cœlum & terram, collocare aut lapidem, aut hominem, aut equum, aut bovem, aut aſinum, aut unum Pneumocoſmicum, & id genus alia, ibiq; mixta illa divinitus conſervare: ergo cùm forma ſubſtantialis mundi non ſit immenſa, quia aliàs Deus eſſet, nec ſit actus ſeparatus à materia, quia aliàs de facto non eſſet forma immerſa, & informans corpus univerſi; evidenter ſequitur, quòd non poſſit eſſe principium effectivum operationis ſenſitivæ, quam equus, v.g. in vacuo conſtitutus, poſſet elicere. Alia ergo eſt forma ſubſtantialis equi, & alia terræ, alia aquæ, alia ignis, alia hominis, alia bovis &c. falſa ergo eſt omnino ſecunda hypotheſis Pneumocoſmicorum.

CONFIRMATUR:

ACcidentia Eucharistica, juxta definitionem Concilij Trident. can. 2. manent abſolutè ſine omni ſubjecto ſubſtantiali juxta illud: *manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini.* cujus ratio eſt:

Digitized by Google

eſt: quia tota ſubſtantia panis convertitur in corpus Chriſti, & tota ſubſtantia vini in ſangvinem pretioſum &c. & tamen hæc accidentia, non exiſtente jam eorum forma in rerum natura, poſſunt immutare aliquid extrinſecum, ut docet experientia, & D. Thomas concludit 3. p. q. 77. a. 3. his verbis: *ſi non poſſunt immutare exteriora corpora, non poſſent ſentiri: (ſentitur enim aliquid per hoc, quòd immutatur ſenſus à ſenſibili, ut docet Ariſtot. 2. de anima) atqui accidentia Eucbariſtica omnes quinq; ſenſus immutant, ſcilicet viſum, guſtum, tactum, olfactum, & in fractione hoſtiæ auditus tandem immutatur*: ergo evidens eſt, quòd Spiritus mundi non eſt principium immediatum omnium operationum & immutationum. ac per conſequens, quòd accidentia in abſentia ſubſtantiæ, poſſunt in virtute illius facere, quidquid facerent, ipsâ præſente: ſi accidentia poſſunt, non exiſtente jam eorum principio ſubſtantiali operari, quidni operaretur equus divinâ virtute in vacuo collocatus. ergo &c.

§. 31.

Doctrina Angelici Doctoris ad parvulorum divinam eruditionem hîc refertur ad literam.

Dubium eſt:

An accidentia Eucbariſtica, quæ ſine omni ſubjecto ſubſtantiali manent, poſſint immutare aliquid extrinſecum?

Deciſio eſt affirmativa.

Q*Via unumquodq; agit* (dictat Doctor divinus omni populo Chriſtiano) *in quantum eſt ens actu, conſequens eſt, quòd unumquodque ſicut ſe babet ad eſſe, ita ſe babeat ad agere. quia igitur ſpeciebus accidentalibus Eucbariſtiæ datum eſt divinâ virtute, ut remaneant in ſuo eſſe, quod babebant in ſubſtantia panis, & vini ante conſecrationem, conſequens eſt, quòd etiam remaneant poſt conſecrationem in ſuo agere: & ideo omnem actionem, quam poterant agere, ſubſtantiâ panis & vini exiſtente, poſſunt etiam agere, ſubſtantiâ panis & vini tranſeunte per converſionem in corpus & ſanguinem Chriſti. Unde non eſt dubium, quòd poſſunt immutare exteriora corpora.* D. Th. 3. p. q. 77. a. 5. in c.

§. 32.

§. 32.

Dubium ſecundum:

An, ex accidentibus Eucharisticis, manentibus ſine ſubſtantia, poſſit aliquid generari?

Deciſio eſt affirmativa.

ibidem. *Cum corruptio unius* (dictat Angelicus Magiſter) *ſit generatio alterius, ut dicitur in lib. 1. de generat. text. 17. tom. 2. neceſſe eſt, quòd ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid generetur, quum corrumpuntur: non enim ſic corrumpuntur, ut omnino diſpereant, quaſi in nihilum redigantur, ſed manifeſtè aliquid ſenſibile eis ſuccedit. Manifeſtum eſt enim, quòd ex corpore & ſanguine Chriſti, quæ ibi veraciter ſunt, non generatur aliquid, cùm ſint incorruptibilia. Unde dicendum eſt, quòd in ipſa conſecratione miraculosè datur quantitati dimenſivæ panis, & vini, quòd ſit primum ſubjectum ſubſequentium formarum. Hoc autem eſt proprium materiæ* (nunquid eſſentia? minimè.) *& ideo ex conſequenti datur prædicta quantitati dimenſivæ omne illud, quod ad materiam pertinet: & ideo quidquid poſſet generari ex materia panis & vini, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſivâ panis & vini, non quidem novo miraculo, ſed ex vi miraculi priùs facti.* Hæc Doctor Angelicus.

§.

I. Cavillus contra dicta ad maiorem intellectum proponitur.

Quidquid generatur, ex aliqua materia generatur: ex nihilo enim nihil generatur, quamvis ex nihilo fiat aliquid per creationem: ſed ſpeciebus ſacramentalibus non ſubeſt aliqua materia, niſi corpus Chriſti, quod eſt incorruptibile: ergo ex ſpeciebus ſacramentalibus nihil poteſt generari.

SATISFACTIO EST DOCTORIS ANGELICI.

ibidem. Quamvis (reſpondet D. Thomas) non ſit ibi materia, ex qua aliquid generetur: quantitas tamen dimenſiva ſupplet vicem materiæ, ut dictum eſt.

CA-

Digitized by Google

CAVILLUS II.

EA, quæ non ſunt unius generis, non poſſunt ex ſe invicem fieri, non enim ex albedine fit linea: ſed accidens & ſubſtantia differunt genere; cum ergo ſpecies Sacramentales ſint accidentia, ſequitur, quòd ex eis non poſſit aliqua ſubſtantia generari.

SATISFACTIO.

DIcendum eſt (reſolvit D. Thomas) quòd illæ ſpecies Sacramentales ſunt quidem accidentia, habent tamen actum & vim ſubſtantiæ, ut dictum eſt in corp. art. *ibidem.*

CAVILLUS III.

SI ex accidentibus generatur aliqua ſubſtantia corporea, illa ſubſtantia non erit ſine accidente: ſi ergo ex accidentibus Sacramentalibus generetur aliqua ſubſtantia corporea, oportet, quòd ex accidente generetur ſubſtantia & accidens ſimul, duo ſcilicet ex uno, quòd eſt impoſſibile: ergo impoſſibile eſt, quòd ex ſpeciebus Sacramentalibus aliqua ſubſtantia corporea generetur.

SATISFACTIO ANGELICA.

QUantitas (reſpondet Doctor Angelicus) dimenſiva panis & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculosè vim, & proprietatem ſubſtantiæ, & ideo poteſt tranſire in utrúmq;, id eſt, in ſubſtantiam, & dimenſionem. hæc D. Thomas. ex quibus conſtat, quàm falſa ſit ſecunda hypotheſis ſectariorum. ergo &c. *ibidem.*

Si aliquis dicat, quòd quando ex accidentibus Eucharisticis generatur, v. g. vermiculus, Deus creat novam materiam. Contra eſt D. Thomas, dicens: *verùm, quia non rationabiliter dicitur, quòd miraculosè aliquid accidit in hoc Sacramento, niſi ex ipſa conſecratione, ex qua non eſt, quòd materia creetur, dicendum eſt, quod in ipſa conſecratione datur quantitati dimenſivæ panis & vini, quòd ſit * primum ſubjectum ſubſequentium formarum.* Deniq; eadem facilitate, qua dicitur, quòd creetur nova materia, dicemus & nos, quod forma ſubſtantialis vermiculi non educitur ex potentia illius materiæ, ſed quòd concreatur intra indiviſibilem durationem divinæ aſſerti- *ibidem in O. art.* *NB.*

Digitized by Google

onis practicæ practicè ad extra, qua dicit Deus: *fiat vermiculus.* Si à Deo creatur & materia, & forma vermiculi: ubi eſt ſpiritus mundi? quare non repit in illo vermiculo? quia non eſt forma illius. Non ergo operationes omnium ſubſtantiarum ſunt effectivè ab ſpiritu mundi. Nunquid non Deus poteſt creare Joannem naturæ humanæ individuum, non ſolùm quoad formam, ut ſupponimus, ſed etiam quoad novam materiam ſimul, quin accipiat materiam univerſi ad illius corporis formationem? reſpondebis ita. quid igitur plura?

§. 33.

III. Hypotheſis Producitur Impugnatio.

Anima mundi (inquiunt Sectarij) eſt in homine, non excluſâ animâ rationali. hinc 1. deducimus: anima ergo mundi eſt in homine, tanquam in ſubjecto connaturali. hæc conſequentia eſt neceſſariò admittenda. hinc 2. concludimus: ergo anima mundi non ſolùm eſt in homine, ut vegetativa, & ſenſitiva formaliter, ſed etiam ut rationalis & intellectiva. probatur conſequentia; inintelligibile eſt, & contra naturalem rationem, ac proinde impoſſibile contradictoriè, quòd aliqua forma, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, per connaturalem informationem ſit in ſubjecto proprio, ultimatè diſpoſito ad receptionem ultimi effectûs formalis, præſtabilis tali ſubjecto à forma connaturaliter, & quòd illa eadem forma, connaturaliter recepta in ſubjecto, non tribuat illi (ſuppoſito Dei concurſu conſervativo utriusq; partis) effectum formalem, ad quem præexiſtit diſpoſitio ultima in eodem ſubjecto: atquì anima mundi, forma non ſolùm vegetativa, & ſenſitiva, ſed rationalis eſſentialiter, in corpore eſt humano, tanquam in ſubjecto connaturali, & ultimatè diſpoſito ad communionem formalem rationalis vitæ in eſſe rationalis: ergo anima mundi non tantùm eſt in homine, ut vegetativa & ſenſitiva formaliter, ſed etiam ut rationalis. Probatur minor: pro priori ad creationem animæ rationalis particularis intra corpus humanum, præſupponitur hoc idem numero corpus prioritate à quo, ultimatè diſpoſitum ad recipiendam illam (aliàs corpus humanum nunquam eſſet capax recipiendi animam rationalem) atquì in toto illo priori ultimæ diſpoſitionis, corpus illud huma-

humanandum, pro poſteriori naturæ, rationalitate formaliter, jam ab anima vegetativa formaliter vegetatur, & à ſenſitiva formaliſſimè ſenſificatur: pro illo ergo priori eſt jam anima mundi in corpore humano tanquam in ſubjecto ultimatè diſpoſito ad immediatam receptionem effectûs formalis vitæ rationalis. Pro illo igitur priori à quo, naturaliter ac neceſſariò anima mundi communicavit ſe totam, & totaliter in genere cauſæ formalis, ac per conſequens in eſſe vitæ rationalis, ſaturatura naturalem appetitum meretricis materiæ, ultimò diſpoſitæ. bene! ſuperveniens igitur anima rationalis particularis hominem per ſe primò non conſtituit. patet conſequentia, quia jam conſtitutum invenit. Præoccupavit enim pro illo priori anima mundi ſuâ rationali actualitate, materiæ deſiderabili, perfectibilem illius potentiam: jam ergo realiter exiſtit homo pro illo priori; particularis igitur anima per accidens facit hominem. Unde ſequitur legitimè, quòd in quovis homine duæ concluduntur animæ rationales: alia antiqua ante tempus, quia cum cœlo & terra in principio creata: & alia particularis & temporanea. Sed hoc jam eſt improbatum à SS. Patribus; ergo à fortiori & illud dogma, ex quo ſequitur.

§. 34.

Si aliquis Pneumocoſmicus reſpondeat, Deum impedire animam mundi ab effectu ſuo formali in eſſe rationalis vitæ, in gratiam particularis animæ rationalis.

Contra talem gratiam eſt prima disgratia: vel anima mundi præbere poteſt formalem effectum vitæ rationalis, & conſequenter effectivum, ſcilicet actualiter intelligere, & velle, corpori ultimatè diſpoſito, vel non? ſi nec naturaliter, nec etiam ultimâ Dei inſpectâ potentiâ, poteſt effectum formalem vitæ rationalis præbere ſubjecto, perperàm ſpiritus mundi anima rationalis & intellectiva paſſim deprædicatur, juxta illud Maronis: *mens agitat molem.* ſi poteſt, & tamen non præſtat ſuum formalem effectum, fruſtrà Deus illam creavit rationalem: ſed Deus nihil fruſtrà fecit in natura: neceſſariò ergo concedendum eſt ſectarijs, quòd illa anima

Digitized by Google

mundi, ſubjectum gradûs capax rationalis, conſtituit vivens rationale, ſive hominem. inſinuata igitur evaſio gratioſa non eſt.

II.

SI naturaliter poteſt, & ſolùm divinitus impeditur, poſſumus piè credere, quòd fautores Spiritûs mundi non habeant animam rationalem particularem, ſed tantùm animam mundi hujus. Quod ſic credendum proponitur: Potuit ſine dubio Deus in corporibus illorum, ultimatè diſpoſitis viâ generationis, nullam creare animam rationalem particularem, ſed permittere animæ mundi ſuum naturalem curſum, nec non communicationem formalem virtutis ſuæ (quod & ipſi nunquam negabunt, ut ex dicendis amplius conſtabit, nec ullus Theologus, Divinæ omnipotentiæ aſſertor, poteſt negare, & maximè cùm nulla veritatis contradictio ex negatione creationis animæ rationalis in corpore, ultimatè diſpoſito, legitimè deducatur) ergo ſine proximi injuria poſſumus piè credere, quòd tantùm habeant animam mundi, ergo &c. Hoc ſuppoſito, petimus (ut poſſimus adimplere Decalogi Præcepta: *diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. & non occides &c.*) an Spiritûs mundi fautores ſint noſtri proximi? an ſint ejuſdem ſpeciei nobiſcum? an ſint homines integri? an verum, formalémque diſcurſum, vel tantùm puerilem habeant apprehenſionem? an deniq; naturali ſint privati ſynderesi? ſi ejuſdem ſpeciei nobiſcum non ſunt: proximi noſtri profectò non ſunt; ac per conſequens perinde erit interficere unum Pneumocoſmicum, ac unum jumentum, quod ſine peccato mactatur. Quod ſacræ contradicit ſcripturæ. Si formaliter diſcurrere non poſſunt, homines integri, coram Deo & Sanctis ejus, non ſunt. Si demum ſimplici tantùm pollentes apprehenſione, ſapientiores nihilominus hominibus diſcurſivis ſunt, Angeli terrigenæ dicti ſint, ſeu Gigantes famoſi, de quibus Lucan: lib. 3.

Aut ſi terrigenæ tentarent aſtra Gigantes.
Et Ovid. epiſt. 12.
Donec terrigenæ (facinus miſerabile) fratres
In ſe conſtrictas conſeruêre manus.

Sed

Sed & hoc ſacræ contradicit paginæ aſſerenti, famoſos Gigantes jam pridem deletos fuiſſe: & ſimul rationi naturali dictanti, Pneumocoſmicos pulchrè philoſophari, quod ſine admiratione, & diſcurſu humano ſanè inchoatum non eſt. Non ergo Angeli ſcientià præſtantes, nec Gigantes robore invicti, ſed in omnibus imbecilles Pigmæi deprehenduntur ſpiritûs mundi fautores. Deniq; ſi naturali carent judicio, ſequitur, quòd nullus eorum poſſit gloria Dei deprædicari, quod eſt contra Apoſtolum Paul. Corinth. 11. dicentem: *vir quidem non debet velare caput: quoniam imago & gloria Dei eſt.* & hic vir, qui dicitur gloria Dei, ſecundùm Magiſtrum Sentent. lib. 2. diſt. 24. & ſecundùm D. Auguſtinum lib. 12. de Trinit. cap. 3. in principio, & ſecundùm veritatem, nihil eſt aliud, quàm Synteresis rationis. ergo &c. Ex dictis impugnata manet quarta hypotheſis, in qua negabatur diſtinctio ſpecifica formarum ſubſtantialium, contra expreſſa teſtimonia Sacræ Paginæ *Genes. cap. 1. & Actor. 17.*

§. 35.

V. HYPOTHESIS REFERTUR IMPUGNATIO.

ANima mundi (inquiunt ſectarij) habet potentiam remotam ad eliciendas quaſcunq; operationes, exemp. gr. equinas, leonis &c. ex hac hypotheſi ſic colligimus: ergo in unoquoq; homine ſunt duæ animæ, quoad eſſentiam rationales. Probatur conſequentia: ſi anima mundi non eſſet in homine, ut forma rationalis, maximè, quia in eo virtutes intelligendi & amandi proximas non exerceret, nec ad hoc ex parte corporis à natura organa haberet congruentia, ac proinde ſolùm remotè conſideraretur rationalis: ſed hoc non obſtat, quò minus anima mundi ſit, & dicatur forma rationalis, hominis formaliter conſtitutiva: ergo de facto ſunt in unoquoq; homine duæ animæ rationales, realiter diſtinctæ numero. Major eſt ſectariorum hypotheſis. minor probatur: definitum eſt in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. in Clementina unica de ſumma Trinitate: *doctrinam, ſeu poſitionem* (ſunt verba Clement.) *temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectiva, verè ac per ſe humani corporis non ſit forma, ut erroneam, & veritati Catholicæ inimicam, prædicto approbante Concilio, re-*

Digitized by Google

probamus. & infra ſic concluditur: *ut quiſquis deinceps aſſerere, defendere, aut tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis non ſit forma corporis per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.* Juxta quam definitionem anima rationalis eſt in pede, v.g. conſtitutivè, & ut eſt eſſentialiter rationalis ſeu intellectiva; & tamen anima rationalis in pede non exercet virtutes proximas intelligendi & amandi, quia à natura non habet diſpoſitiones materiales ex parte materiæ, neq; medijs illis virtutibus proximis unitur materiæ primæ, deliteſcenti ſub quantitate & dimenſione pedali (alias anima uniretur materiæ medijs accidentibus, & non immediatè in eſſe actus ſubſtantialis, quod eſt falſum) neq; à pede petitur, ut immediatè informato animâ rationali quidditativè, exercitium ſpiritualium operationum: ergo optimè ſtat, quòd anima mundi ſit, & dicatur forma rationalis, hominem in eſſe talis realiter conſtituens, quin ullas operationes in illo exerceat ſpirituales, ſeu intellectuales ob defectum organorum &c. Duæ ergo animæ ſunt in homiue quoad eſſentiam rationales, ſcilicet anima mundi, quæ eſſentialiter eſt intellectiva, & ſimul particularis anima rationalis, ut docet Chriſti fides. hæc conſequentia eſt legitima: ex qua ſequitur ultimò, quòd homo actualiter conſtitutus ſit ex duplici anima rationali, quod eſt dogma hæreticum. Non ergo eſt admittenda hypotheſis ſectariorum aſſerentium, animam mundi eſſe remotè capacem omnis operationis, ac proinde in homine ſecundùm gradum vegetativum & ſenſitivum inveniri, & in conſequenter negantium, eſſe in illo formaliter conſtitutivè, ſecundùm quidditativum eſſe formæ phyſicè rationalis ſeu intellectivæ, quandoquidem rationalis eſt, maximè ſecundùm antiquos.

§. 36.

VI. HYPOTHESIS PRODUCITUR IMPUGNATIO I.

QUare in homine non eſt ſpiritus mundi ſecundùm gradum rationalem? quia (reſpondent ſectarij) cogimur ex præſcripto *fidei, animas per ſingula hominum individua numero diſtinctas admittere.* Ex ore veſtro vos judico, errones. Cogimini? ergo contra veſtram mentem Pneumocoſmicam eſt pluralitas animarum. Cogimini? ergo fides ſupernaturalis, oſtendens animarum rationalium

lium

lium pluralitatem, eſt contra veſtram intelligentiam naturalem: ergo mente pugnatis diu noctúq; contra fidem; ergo eſtis mentales hæretici. Omnes iſtæ conſequentiæ ſunt clariſſimæ. atquì in ſuperioribus oſtenſum (etſi breviter) eſt, fidei veritatem conſonare veris naturæ principijs, & contrarium aſſerere, teſte D. Thoma, eſſe temerarium, & contra ſanctionem Lateranenſis Concilij tertij: ergo &c. Dein, anima mundi quæ eſt in homine quoad gradus vegetandi & ſentiendi, nec eminenter purè, nec eminenter formaliter continet gradum rationalem: ſed è contrario (aliàs imperfectius perfectius contineret, quod eſt contra naturas rerum) ſi ergo anima mundi eſt in homine quoad gradus vegetandi & ſentiendi, neceſſariò etiam eſt, quoad gradum rationalitatis. antecedens eſt notum, conſequentia probatur: implicat communicatio effectûs formalis formæ, eminenter purè, aut eminenter formaliter contentæ in aliqua forma realiter indiviſibili, ſine communicatione formali ipſius formæ, ut continentis purè, vel eminenter formaliter talem effectum formæ: atquì gradus rationalis, ſeu vita mundi ut rationalis, eſt forma, quæ continet eminenter formaliter gradum vegetativum & ſenſitivum, ſeu formam vegetativam, & ſenſitivam: ſi ergo anima mundi eſt in homine quoad vitam vegetativam, & ſenſitivam, evidenter à poſteriori concluditur, quòd ſit, imò præſupponatur in illo, quoad gradum rationalitatis in actu primo: ergo &c.

II.

FIdes non eſt in Deo, ſed in creatura: non ergo fides immutabit naturas rerum. patet conſequentia, quia ſoliûs DEI eſt eas immutare: ergo ſi ſemel eſt verum intra cancellos ordinis naturalis naturaliter, quòd unica anima eſt in omnibus creaturis, ſemper erit certum ſecundùm fidem, quòd non datur niſi unica anima in toto mundo. Superveniens ergo fides non poteſt intercidere communicationem formalem animæ mundi in eſſe vitæ rationalis in ſubjecto capaci. atquì antiquior eſt mundus viſibilis, quàm fides Adami & filiorum: ergo ſi ſemel habuit animam rationalem, ut talem, defacto etiam habet. Ac proinde in unoquoque individuo naturæ humanæ duæ erunt animæ; ergo &c.

III. Si

Digitized by Google

III.

SI fides immutaret naturas rerum, de tali immutatione deberet eſſe in nobis fides: ſed nulla datur in nobis de tali immutatione fides, tunc enim eſſet fides fidei, quòd facit circulum vitioſum. ergo &c.

IV.

ANima mundi vel eſt nobilior & præſtantior in eſſe phyſico animâ rationali, vel æquè nobilis & præſtans, vel ignobilior atq; infirmior? ſi nobilior eſt, atq; naturâ præſtantior animâ rationali particulari, debent prius ſectarij nobis, & toti Univerſo Catholico oſtendere, quo jure, quo titulo, qua prudenti ratione, quoq; modo poteſt ſubordinari in eſſe formæ vitalis imperfectiori formæ, ſcilicet rationali particulari, ut ipſi ſupponunt in 3. hypotheſi: ſed implicat cum mente ipſorum, quòd nobis hoc oſtendant, natura enim ne revelavit quidem ipſis hoc Sacramentum: ergo ſimiliter hypotheſis tertia pugnat cum tota natura. ergo &c. Si æquè perfecta cum rationali, ſequitur ante omnia, alterutram ſuperfluam eſſe. Unde emerget in confirmationem hujus propoſitionis illud decantatiſſimum axioma inter Peripateticos & Platonicos: *fruſtrà fiunt per plura, quæ fieri poſſunt per panciora.* Secundò, quod idem numero effectus formalis poſſit derivari in idem numero ſubjectum à duplici cauſa formali, totali in ſuo genere: & conſequenter, quòd idem numero effectus in genere effectivo prodire poſſit à duplici cauſa effectiva, & principio quo adæquato in ſuo ordine, quod cum virtute cauſarum particularium repugnare cum communi Doctorum placito hìc ſtatuimus. Tertiò ſequitur, quòd, cùm par in parem non habeat imperium; erunt continuæ rixæ, & inextingvibiles ſimultates inter animam mundi, & rationalem animam: ac proinde nulla unquam erit in pacifica poſſeſſione proprij ſubjecti. & hinc iterum pullulabit Manichæorum dogma, cum apparenti fundamento concludens, quòd neutra ſit à DEO vero, quia ſi à DEO eſſent, ſine dubio unaquæq; in proprio ſubjecto ſine lite eſſet. atquì eſt ultimum quod ſic ignorantiæ, & ſtultitiæ aſſerere, quòd à Deo non ſint animæ rationales: non ergo poſſunt eſſe duæ ejuſdem rationis atq; æqualis perfectionis in eodem numero ſubjecto, & multò minus in ſimultate naturaliter convivere; ergo &c. Deniq; ſi mun-

Digitized by Google

mundi ſpiritus imperfectior eſt, & imbecillior animâ rationali, quomodo ille tantam poteſt vivificare naturaliter molem, & anima rationalis cum tota ſua perfectione ſuperexcedente eandem machinam, nec divinâ potentiâ informare ad inſtans valet? Præterea, ſi anima mundi, rationali imperfectior, poteſt vegetare, ſenſificare, & mentificare corpus, quare anima rationalis hos non præſtabit formales effectus, & conſequenter effectivos, in homine; quandoquidem & ratio communis omnium Philoſophorum id demonſtrat, & fides pro certo ſupponit. Deniq; gratis concedimus in nomine SS. Trinitatis Pneumocoſmicis totam æternitatem, ut, ex ſuppoſitione, quòd anima mundi ſit imperfectior animâ rationali, & tres enumeratos effectus formaliter præbeat ſubjecto, in quo eſt, quærant in ſpatijs imaginarijs, quare anima rationalis, cùm ſit forma corporis, ut Conciliorum ſanctiones exprimunt, non poſſit immediatè per ſe ipſam vegetare, ſenſificare, & mentificare corpus humanū? ergo &c.

§. 37.

Quid ad hæc Thomas Campanella?

I.

CAmpanella cap. 32. lib. 1. de rerum ſenſu & Magia, tot ſuis ebrius veſanijs, egregiam tandem totius libri ſummam compendio eructat, & expreſsè profitetur, toti mundo velut propriam formam in eſſe animam, ſeu mentem multò humanâ & Angelicâ præſtantiorem: Angelis tamen notam, & amicam prorſus, quæ continuò in ipſo Deo videat, quid in univerſo operari debeat. En tibi, Chriſtiane lector, partum tantarum proluſionum, colophonem conſpicuum, cui obſtetricantur Erinnes, quem quicunq; admittis, tollis omnia miracula, fidem, religionem, & ejus loco reponis magiam, incantationes, ſacrilegia, idololatriam, atq, adeo omne exitium, & purum putum Tartarum.

II.

CAp. 31. aſſerit idem Anti Thomas, poſt lapſum Adami, vitia nobis eſſe naturalia. At hoc, Campanella, à tuis nunquam audiviſti, nunquam in eorum libris legiſti, audiverunt illi à te,

legerunt, & doluerunt, cùm infrunitos exorbitantis tuæ mentis partus, tua, inquam, ſcripta, Bononiæ tibi ſublegebant, & hydram in ſemine ſuffocabant, quibus inanis præfica nequidquam tuum occinebas Teleſſium.

III.

IDem cap. 8. docet ineſſe ſenſum omni enti propter antipathiam & ſympathiam, conſequenter etiam ſentire navim, cùm à remora ſiſtitur. Dignum profectò patellæ ilii operculum: quod ſi navis à remora impedita ſentit, etiam compedes Campanellæ ſentiebant, quos viginti tres annos pertinaciſſimus colonus inhabuit. ſed quid ſenſerunt? haud dubiè intolerabilem Campanellæ proterviam, cui in hoc omnia conſentiunt, quòd ipſe nihil bene ſentiat.

IV.

IDem cap. 4. arguit Ariſtotelem, quòd ſenſationem docuerit fieri per informationem, & urget inde, ex mente Ariſtotelis ſequi, nos lapides fieri per viſionem lapidis. Sed nimis craſsè de Ariſtotele ſentit Campanella, & mirum eſt, ſubtiles ſpecies Peripateticas ab eo percipi non potuiſſe, qui potuerit aſſequi ſenſum in ijs, in quibus non eſt.

V.

IDem cap. 5. docet, riſum & planctum eſſe in elementis. Sed neſcio, an hujus aſſertionis ſtultitia planctu Heracliti, vel Democriti riſu digna ſit. Certè vel quid planctus ſit, neſcivit Campanella, vel ſi ſcivit, ut omnia ſuis accommodaret principijs, inſanivit.

VI.

IDem lib. 1. cap. 1. inquit, ſicut vermes in ventre corporis humani ſunt, nec intellectum & voluntatem hominis percipiunt, quia ipſorum ſenſui non proportionantur, ita animalia & homines eſſe in mundo, nec mundi ſenſum percipere, quia ipſorum ſenſui non proportionantur. Aſt comparatio hæc ex falſo principio profecta tota inſipida eſt, & verminato Campanellæ capite digna. Quomodo id ipſe percepit, ſi id nemo percipere poteſt?

VII.

CAp. 2. ejusdem lib. 1. ſubdubitat Campanella, num Sol & terra dum aliquid producunt, effectus à ſe productos intelligant? Sed

Sed dubium hoc idololatris Perſis, vel Romanis olim, ſolem & terram pro DEO colentibus, fortè conveniat: Chriſtiano minimè; proinde S. Inquiſitionis carceribus caſtigatam ſuam inſaniam miretur nemo.

VIII.

CAmpanella ibidem docet, Solem formaliter eſſe calidum, & quidem alicubi cum intenſione, alicubi ſine intenſione. Quare? quia tales ejus ſunt effectus. Sed ſi hoc argumentum valet, evincit, Deum formaliter eſſe materiam primam, atq; adeo non eſſe Deum, cùm Dei ſolius ſit effectus materia prima.

IX.

CAp. 8. docet Campanella, à ſtelarum influentijs multa profundo procudi in mari, qualia ab ijsdem formantur in terris: pro exemplo adfert belluam marinam, Epiſcopum mitratum aliquo modo referentem, ſemel inventam. Prô diſcurſum, vix belluâ dignum marinâ! mirum eſt, non aliquem tui ſimilem Oceani præcludi carceribus, quia te in terris ſontem jam pridem domuêre.

X.

CAp. 9. ſic dictat: affirmare licet mundum eſſe animal totum ſentiens. Quare? quia totus horret vacuum. Huic ſtolidiſſimo diſcurſui Campanellam haud mirum eſt aſſentiri, in cujus toto corpore nihil fuit, quod non ſenſerit vel carnificis manus & torturas (prout fatetur Symmiſta ejus Tobias Adam:) vel loca ſentaſitu.

XI.

CAp. 3. ejusdem libri probat Campanella, materiam primam ſentire, quia de ejus potentia educitur anima ſenſitiva. Sed exiſtimavit forſan Campanella, educi res de potentia materiæ, ſicut vulpes ex cavea, vel equæ ex utero equum. Craſſus nimis profectò hic conceptus, Campanella! noli Ariſtotelem arguere, qui necdum didiceris eum intelligere.

XII.

CAp. 11. docet Campanella, à ventis ſenſu percipi ventos, ab aëre aërem, & tam aërem, quàm ventos reſentire, exiſtimare, diſcurrere, perſpicere, percipere non tantùm ſingularia,

ſed & univerſalia, & revera lapides & aërem ex alijs alia colligere, & uti diſcurſu quoad rem, licet non ita loqui ſoleamus. Porrò omnia ſint ſalva: modò ab omnibus bene ſentientibus ſe diſſentire ſentiret Campanella. Verùm enimverò, ex ſacra conſtat ſcriptura, Deum produxiſſe ventos de theſauris ſuis: quærimus, quomodo recentiſſimè ex capite Campanellæ ſimul omnes flarint? nunquid DEI theſaurus Campanella? abſit! ſed ipſe ventorum omnium affectavit agere theſaurarium. Ad tempus enim credidit, ex ejus capite tanquam ex prima materia cunctos prodire, & quòd ex illo, tanquam ex acropoli, acriſiæ in propatulo expoſita, flabant validiſſimè.

XIII.

CAp. 12. inquit Campanella, mundum eſſe animal, pro oſſibus habere lapides, pro carne plantas, pro ſangvine liquores, pro ſpirituali anima ventos. Contine, contine, Campanella, inflationis tuæ ventoſas vires, & ſi potes, indigita mundi caput: aſt invenire æternùm non poteris. Quare? Quoniam pro ſpiritûs totius mundi capite, qui in auras ſolvitur inanes, ſine dubio ſufficit tuum inane. totus ergo mundus, ante tuum ortum ſingularem, acephalus de facili comprobatur. ô infælix mundus tam amplo exigui capitis vacuo coronatus!

XIV.

CAp. 25. non inopinabile putat, apibus, animalibúsq; hujusmodi gregalibus ineſſe cognitionem Dei. At, talia opinari eſt animam rationalem illis tribuere, & dicere: equus eſt homo, & armenta bubalorum ſunt comitia hominum. De ſimilibus profectò jumentis, deliris hominibus, prophetavit David, dicens:
Pſal. 31. v. 11. *nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Quapropter ſanctum eſt, conſtituere Præceptores ſuper eos, ut ſciant ſaltèm,
Pſal. 9. v. 2. *quoniam homines ſunt.*

XV.

CAp. 18. ait Campanella, ſtultum eſſe dicere ſenſitivam animam, tam elementorum, lapidum &c. quàm Plantarum, brutorum, eſſe aliud, quàm hoſpitem & accolam corporis, prout in navi nauta eſt. Conſequenter delirat Campanella, ac proinde ſine ulla mentis ſuæ conſequentia, Pneumocoſmicorum ſectam,

Digitized by Google

ctam, aſſerentium Spiritum mundi eſſe formam informantem, funditùs ſubvertens, ſeipſum jugulat. ergo nec elementa, nec lapis, nec planta, nec brutum ſentit, ſed ille tantùm accola, quem tibi, quis ſit, ater, an albus, docere incumbit. Hæc omnia contra definitiones Conciliorum ſunt, falſa ergo & inania ſunt.

X V I.

CAp. 3. dictat Campanella, hoc magnum mundi animal periturum ultimo die judicij febribus, & ideo Solem ſemper deſcendere, & terris magis appropinquare, ut inimicum mundi humorem paulatim conſumens, tandem totum accendat, & ſic moriatur per ignem. Deſcendiſſe verò Solem versùs nos, à tempore Ptolomæi uſq; nunc, 31. prope terræ ſemidiametris. Continuà laboras febre, Campanella, & Manichæa de Humifero, in fine mundi conflagrationis igne exurendo, retexis deliria, vel Atlantica, ut ajunt Mathematici, mendacia, qui totis ſcholis te vertiginoſis oculis emenſum cœlos dictitant. Vel ſi mitiùs tecum cupis agi, concedent, Solem ratione ſuæ excentricitatis tantum, & ultra deſcendere; at etiam unà exigent paginas tuas ad obeliſcum: nam quiddam perturbatè vel ſublegiſti, vel ſubaudiviſti: & quia conſequenter perperàm intellexiſti, ceritis tuis & ſideratis opinionibus malè ſartum centonem ex Hipparcho & Albategnio etiam perperàm prætexuiſti. Deniq; quod tibi dico, omnibus aſſeclis tuis dico.

His relictis Campanellæ mortualibus tinnitibus, expendere nunc tenemur ſolutiones nonnullas, quas, ex abaco hæreticorum deſumptas, Juniores Pneumocoſmici adhibent ad invictiſſima, infallibilia, & manifeſta lumine fidei argumenta, quæ ſpiritum mundi nihil eſſe palàm oſtendunt.

§. 38.

Sanctiſſimum proponitur contra omnes Pſeudo-Mercurios argumentum.

TOta totaliter, & ſola ſolitariè ſubſtantia panis (manentibus omnibus ipſius accidentibus, tam naturalibus, quàm artificialibus, ſeu ab arte inductis) prout eſt hoc compoſitum ſub-

Digitized by Google

ſtantiale, ſeu hæc prima ſubſtantia, conſtans eſſentialiter, & adæquatè ex hac numero materia, & ex hac forma ſubſtantiali panis, naturaliter accepti, & non artificialiter ſumpti, ita convertitur per conſecrationem, & transſubſtantiatur in verum Chriſti corpus, ut nihil materiæ primæ panis, nihil formæ ſubſtantialis panis naturaliter conſiderati, maneat realiter in ſuo eſſe: ergo ſpiritus mundi, forma ſubſtantialis panis, ita converſus eſt, & transſubſtantiatus in corpus Chriſti, ut non ſit in rerum natura. Conſequentia patet, quia quod in aliud convertitur, non manet in ſua eſſentia, ut ſi homo converteretur in Angelum, non maneret eſſentia compoſita ex forma rationali & materiâ primâ, ſed eſſet eſſentia tota totaliter ſimplex & ſpiritualis. Ubi eſt ergo Spiritus mundi à nocte cœnæ, in qua Chriſtus Dominus panem convertit in corpus ſuum Sanctiſſimum, & vinũ in ſangvinem ſuum pretioſiſſimum, uſq; in hodiernum diem?

§. 39.

Quid pauperes Philoſophaſtri, Spiritûs mundi fautores, ad hoc reſpondent argumentum?

tract. de Typho gener. hum. c. 11. fol. 131.

HOc argumento (reſpondet quidam neotericus) putat communis Philoſophorum grex, ſpiritum mundi omnino proſterni. Reſpondent nihilominus Pneumocoſmici, Eccleſiam & SS. Patres nomine transſubſtantiationis Evchariſticæ non aliud nobis ad credendum proponere, quàm quòd per illam pereat tota ſubſtantia panis & vini, quæ non eſt his & ſimul Chriſto communis. Unde aſſerendum eſt, hanc numero materiam panis & vini in conſecratione perire, quia Chriſtus aliam habet materiam numero diverſam. Non definit tamen Eccleſia, perire ſimul formam ſubſtantialem, & materialem, Chriſto, & panis viniq; compoſito communem. Neq; neceſſarium eſt ad transſubſtantiationem, ut omnes partes ſubſtantiæ prioris compoſiti pereant. Nam etiam ſecundùm multos datur corruptio ſubſtantialis, nullâ parte ſubſtantiali pereunte, in morte videlicet hominis, in quo, præter materiam & animam rationalem, nullam aliam ſubſtantialem ſeu eſſentialem formam, vel partem admittunt. Alias quaſdam ſubtiliores hujus argu-

argumenti ſolutiones prætereo, quibus minor probationis poſſet controverti. Hæc ſubtilis neotericus pro Pneumocoſmicis, contraquos.

§.

STATUITUR IMPUGNATIO I.

INprimis contra illa verba: *putat communis Philoſophorum grex &c.* Ad Phyſicos non pertinet ſcientia de converſione panis in corpus Chriſti, & vini in ſangvinem, ſed ad filios Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, Doctores eximios, Divinos Theologos, SS Patres: Impropriè ergo, confuſis facultatum terminis, Eccleſiam Chriſti gregem ignorantum Philoſophorum putat neotericus.

I I. PRIMÆ ROBORATIVA.

REſpondent Pneumocoſmici, *Eccleſiam, & SS. Patres &c.* Si Eccleſia & SS. Patres: non ergo co͂munis Philoſophorum grex.

§.

Nunquid Eccelſia definit expreſsè, formam ſubſtantialem panis poſt conſecrationem non permanere?

Reſp. affirmat.

I.

SI quis dixerit, in Sacroſancto Eucharistiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini unà cum corpore & ſangvine Domini Noſtri JESU Chriſti, negaveritq; mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſangvinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia transſubſtantiationem appellat, anathema ſit. *Trid. ſeſſ. 13. de Eucharist. can. 2. contra Wiclephi. art.*

I I.

QUoniam autem Chriſtus (definierunt Patres ejuſdem concilij) *Redemptor noſter, corpus ſuum, id, quod ſub ſpeciebus panis offerebat, verè eſſe dixit: ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idq; nunc denuò Sancta hac Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti* *Trid. c. 4. de transſubſtant. Luc. cap. 22. Joan. cap. 6. 1. Corinth. 11. Cap. panis de conſecrat. diſt. 2.*

Digitized by Google

Cap. cum Mart. de celebrat. Miſſ.

ſti Domini Noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſangvinis ejus. quæ converſio convenienter & propriè à Sancta Catholica Eccleſia transſubſtantiatio eſt appellata. ex quibus:

HÆC ERUITUR APODIXIS I.

DUntaxat manent accidentia panis & vini in Evchariſtia: ergo nihil materiæ panis, formæ ſubſtantialis nihil prorſus manet. antecedens eſt divinum decretum. conſequentia patet, quia ſi forma maneret panis, non duntaxat accidentia panis manerent, ſed præcipua pars panis, ſcilicet forma ſubſtantialis cum ſuis accidentibus maneret, quod eſt omnino falſum. ergo definitum eſt ab Eccleſia formam ſubſtantialem panis poſt conſecrationem non manere: voluntariè ergo contrarium ſcribitur.

I I.

TOta ſubſtantia panis convertitur in corpus Chriſti: ergo nil ſubſtantiæ panis remanet. probatur conſequentia: tota ſubſtantia panis non eſt ſola materia prima panis, nec ſola forma ſubſtantialis illius, ſed compoſitum naturale ex his duabus partibus conflatum, ut patet in homine, in quo materia prima non eſt tota ſubſtantia hominis, nec anima rationalis eſt tota quidditas, ſeu eſſentia, aut ſubſtantia ſpecificè ſumpta illius, ſed utraq; eſſentialiter eſt pars totius ſubſtantialis ſpecificè ſumpti, quod eſt tota ſubſtantia, tota eſſentia, tota natura &c. atquì tota ſubſtantia panis convertitur: ergo nihil ſubſtantiæ panis nec pro materiali, nec pro formali remanet. Dicendum ergo eſt, ab Eccleſia definitum eſſe formam ſubſtantialem panis non manere, hoc ipſo, quòd definivit expreſsè, totam ſubſtantiam panis converti in corpus Chriſti, & vini in ſangvinem. En Catholicam Eccleſiam Theodidacte, (cujus caput Chriſtus, Præſes Spiritus Sanctus eſt) theologizantem circa converſionem mirabilem & ſingularem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſangvinem. Non ergo ad Phyſicos, ſed ad filios Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ, divinos Theologos, SS. Patres ſcientia de converſione pertinet Evchariſtica. ergo &c.

III.

Digitized by Google

III.

SI *forma ſubſtantialis panis* (ediſſerit Doctor Angelicus) *remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Chriſti, niſi ſola materia: ſed ſi ſola materia converteretur, tunc ea in totum Chriſti corpus, prout directè ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, ſeu prout eſt compoſitum ſubſtantiale, totale, naturale ex materia prima & forma ſubſtantiali conflatum, non converteretur, ſed in ejus partem materialem, ſcilicet materiam primam. Quod repugnat formæ Sacramenti, qua dicitur: hoc eſt corpus meum.* ergo &c. *D. Th. 3. p. q. 75. a. 6. in princip.*

IV.

FOrma ſubſtantialis panis (arguit D. Thomas) eſt de ſubſtantia, ſeu eſſentia phyſica panis: ſed ſubſtantia panis convertitur in corpus Chriſti: ergo forma ſubſtantialis panis non manet. *ibidem in arg. ſed contra.*

V.

SI forma ſubſtantialis panis maneret, procul dubio in propria, aut in materia maneret aliena, aut ab utraq; ſeparata: ſed neq; in propria, nec in aliena, neq; ab utraq; ſeparata manet: ergo nullo modo manet. probatur minor quoad primam partem: ſi forma ſubſtantialis panis maneret in propria materia, ſine dubio tota ſubſtantia panis maneret, quæ nihil aliud eſt, quàm materia & forma naturaliter unitæ: atquì aſſerere totam ſubſtantiam panis remanere in eveharistia, eſt dogma hæreticum, utpote contradictoriè oppoſitum ſanctioni Sacro-ſanctæ Tridentinæ Synodi: ergo non manet forma ſubſtantialis panis in propria materia.

Probatio minoris quoad ſecundam partem.

PPropria forma (arguit D. Thomas) non eſt niſi in propria materia: ergo forma ſubſtantialis panis non poteſt manere, in aliena materia. *D. Th. ibidem in O.*

II. Probatio quoad eandem partem.

PRobaturi, formam ſubſtantialem panis non manere realiter in aliena materia, quærimus 1. an materia hæc aliena, in qua quieſcere debet forma panis, præexiſtat ſine forma propria intra

& ſubtus accidentia evchariſtica connaturaliter, vel ſupernaturaliter? 2. an abſolutè excluſivè extra illa exiſtat accidentia naturaliter, vel ſupernaturaliter? 3. an extra accidentia cum propria exiſtat formâ, ſuſceptura gratis formam panis, à materia divinitus propriâ ſeparatam? quibus perceptis, ſic diſcurrimus: ſi forma ſubſtantialis panis manet poſt conſecrationem in aliena materia, deliteſcente connaturaliter ſub accidentibus evchariſtieis, quo jure vocatur aliena materia? ſi ſub accidentibus naturaliter manet, quomodo non propria illorum materia? ſi ſine forma ſubſtantiali ibidem naturaliter manet, profectò forma ſubſtantialis panis, quæ manet, in illa erit tanquam in propria, non tanquam in aliena materia. Si ergo cum forma ſubſtantiali panis connaturaliter exiſtit, quomodo non manet tota ſubſtantia panis? Deinde ſi ibi eſt aliena materia, ſuſceptura formam panis, à DEO divinitus præparata, quare non manet materia propria & antiqua panis? Tertiò, ſi ibi latet materia aliunde aſportata, dicas nobis, quæſumus, ubi reliquerit ſarcinam propriorum accidentium cum forma ſubſtantiali? Non animadvertis, quòd, ut unum ſalves Sacramentum, duo inſipienter adſtruis, multiplicatis miraculis ſine cauſa? Quartò, ſi ibi reponatur materia, à Deo de novo creata, petimus, an ad ſuſtentandum accidentia evchariſtica, & ſuſceptionem formæ ſubſtantialis ſimul, vel utraq; diviſivè? ſi primum nobis concedas, ecce jam manent accidentia in ſubſtantia naturali, ac per conſequens non erit ſacramentum, ſed ſimplex panis, quod eſt error Calviniſticus, & contra Tridentinam ſanctionem, *manentibus duntaxat &c.* Si ſecundum, noviſſimum ingeris in rerum natura portentum: quod ſic oſtenditur: Accidentia evchariſtica manent cum forma ſubſtantiali panis in eadem materia, ſed ſeparata, hoc eſt, non inhæſivè in illa forma: quia hæc eſt jam cum impoſſibilitate induendi accidentia propria: ſed hoc novum prodigium eſt in Philoſophia, ac proinde miraculum miraculi. ergo &c. Deinde, ex tali modo philoſophandi, non enervatur ſanctionis ſanctæ robur, eò quòd tunc etiam eſſet tota ſubſtantia panis ſub ſuis proprijs qualitatibus, ponderibus, figuris, & accidentibus, tam artificialibus, quàm naturalibus: ergo &c.

V I.

Digitized by Google

V I.

QUidquid Deus ad extra operatur circa eucharisticum myſterium, exprimitur verbis conſecrationis, ſed per hæc non exprimitur, quòd Deus novam producat materiam, induturam formam panis antiquam, ut patet ex formula conſecrationis: *hoc eſt corpus meum &c.* ergo &c.

V I I.

EX eo, quòd ſupernaturaliter exiſtat illa materia, ſive nova, ſive antiqua, dummodo ſub accidentibus conſiſtat realiter eucharisticis, non evacuatur religionis catholicæ doctrina, & Trid. Synodi definitio, in qua ſtabilitur, quòd tota ſubſtantia panis convertitur: non ergo manere debet forma ſubſtantialis panis cum materia de novo producta à Deo per creationem &c.

V I I I.

SI illa materia, in qua ſupponitur eſſe forma ſubſtantialis panis, manet abſolutè extra accidentia euchariſtica, ubi eſt forma antiqua illius materiæ naturaliter, ubi ſunt utriuſq; partis accidentia? Nuſpiam. Illuc ergo cœnatum eas, & materiam tuam cum forma ſubſtantiali, quæ poſt conſecrationem fingis manere, bene cuſtodias.

I X.

SI materia illa tota & totaliter eſt extra accidentia euchariſtica (ſive naturaliter, ſive ſupernaturaliter exiſtat ſolitariè, vel in compoſito) forma panis, ut actualiter eam informans, debet etiam eſſe extra illa accidentia: eò quòd nulla forma informet materiam diſtantem, ſed tantùm ſibi immediatè connaturaliterq; unitam: ergo abſolutè eſt verum, quòd nec materia panis, nec hujus forma manet ſub accidentibus euchariſticis, quod nos fideliſſimè cum Eccleſia ſancta Dei credentes, propugnamus; Spiritus ergo mundi, ut forma panis erat, ſi non fuit emortuus abſolutè, abſolutiſſimè tamen excluſus eſt à tota quantitate euchariſtica: ſed quantitas euchariſtica, ſub qua latet totus Chriſtus, eſt pars hujus univerſi: ergo falſum eſt, quòd Spiritus mundi ſit totus in toto, & totus in qualibet parte univerſi. ergo &c.

Digitized by Google

X.

SI materia exiſtit extra accidentia evchariſtica, & forma intra accidentia, ſequitur legitimè, quòd ſubſtantia panis non ſit converſa in corpus Chriſti, ſed diviſa & ſeparata in ſuas duas partes eſſentiales, materiam ſcilicet & formam, manentibus accidentibus inter extrema pendulis, vel ad ſummum adhæreſcentibus formæ ſubſtantiali, tanquam ſubjecto, quoad ſufficientiam adæquato, ex ſuppoſitione divortij divinâ authoritate celebrati; ſed hoc quoad omnes apices eſt jam improbatum, quia contra veritatem hujus propoſitionis divinæ: *hoc eſt corpus meum.* ergo &c.

X I.

SI forma ſubſtantialis panis manet in materia, jam formatâ aliâ formâ ſubſtantiali, erit in illa tanquam accidens in ſubjecto, quod eſt contra naturam formæ ſubſtantialis: ergo &c. Probatur antecedens: hæc numero materia cum antiqua forma adæquatè conſtituit hanc numero naturam ſingularem tam genericè, quàm ſpecificè perfectam, ita, ut nihil deſit intra terminos ſubſtantiales illi naturæ compoſitæ: ergo quidquid ſupervenire poteſt, cardè veniet. ergo forma ſubſtantialis panis, quæ ſupervenit, informare non poterit materiam illam adæquatè formatam. conſequentia hæc patet. manebit ergo in illo compoſito forma panis, tanquam accidens mendicum quinti prædicabilis. Conſequentia hæc deducitur ex dictis. ergo &c.

X I I.

SI ab utraq; materia forma panis maneret ſeparata, ipſo facto eſſet forma intelligibilis (ut docet Doctor Angelicus *3.* p. q. *75.* a. *6.* in O.) imò actu intelligens, omnes enim formæ à materia ſeparatæ ſunt tales: atquì eſt de fide per im̃ediatã conſequentiam, quòd forma panis non ſit ſubſtantia intelligens: non ergo manet ab utráq; materia ſeparata. probatur minor: de fide eſt, quòd neq; equus, neq; mulus ſunt ſubſtantiæ rationales, juxta illud pſalmi: *Pſal. 31. v. 11.* *nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*: equus autem pane pabulo perfectior eſt, non enim equus propter pabulum, ſed pabulum propter equum à Deo creatum eſt, ut conſtat ex cap. 1. Genes. ſi ergo equus, pane perfectior, rationalitatis caret perfectione,

ctione, à potiori etiam panis. Non ergo illa ſeparatur forma, ut ſit in rerum natura proprijs denudata qualitatibus.

XIII.

FOrma panis manet ſeparata? reſpondes ita. Liga ergo eam, ſi licitè potes, cum Manichæis ad oleam, aut ad morum, aut ad perſeam, aut ad candelabra, quæ in altari ſunt collocata, vel, ſi mavis, ad Miſſalis rubricas memento defunctorum. Non potes? ad quid ergo deſipis?

XIV.

MAnet panis forma ab omni ſeparata materia? Duplex ergo ſacrificium DEO à quovis offertur ſacerdote in altari. Probatur conſequentia: offertur Chriſtus, modo incruento ſacrificatus, ut ſupponimus, offertur etiam mundus, qui prout in pane, verè mactatur animal, quandoquidem ſeparatur omnino ſpiritus mundi à propria materia, in qua ſeparatione ſubſiſtentium per ſe formarum mors conſiſtit adæquatè. Duplex ergo ſacrificium Deo offertur, duplex mactatur victima, duplex à quovis immolatur hoſtia ſacerdote: ſed hoc abſurdum adhuc non venit in capita Pneumocoſmicorum: opus ergo miſericordiæ eſt, ne priventur mundialis victimæ fructu, eos commonere, ut expreſsè applicent pro ſe, & majorum ſuorum animabus valorem tanti ſacrificij: ergo &c.

§.

CAVILLUS COMMUNIS.

FOrma corporis Chriſti eſt anima: ſed non poteſt dici, quòd forma ſubſtantialis panis convertatur in animam: ergo remanet, factâ conſecratione.

Solutio eſt Angelica.

ANima (reſpondet Doctor Angelicus) eſt forma corporis, dans ei totum ordinem eſſe perfecti, & eſſe corporeum, & eſſe animatum, & ſic de alijs. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Chriſti, ſecundùm quod dat eſſe corporeum, non *D. Th. 3. p. q. 75. a. 6. ſolut. ad 2.*

autem ſecundùm quod dat eſſe animatum tali animâ. Utinam, omnes Theologi ſtuderent ſcire divinam Doctoris Angelici doctrinam!

XV.

ILla forma non manet unita immediatè naturæ divinæ, ut ſupponimus cum omnibus Theologis, & ipſi ſectarij nobis libenter concedent. Non item manet unita corpori Chriſti hypoſtaticè, quia corpus, utpote finitæ virtutis, non poteſt ad ſe aſſumere aliam naturam, ſive materialem, ſive formalem, & maximè, quia propriâ non ſubſiſtit ſubſiſtentiâ: ergo abſolutè illa forma panis in rerum natura non manet. Deniq; forma, quæ aſſumitur, manet in ſua natura, ſed non cum propria ſubſiſtentiâ, ut patet in anima rationali Chriſti Domini: unde ſequeretur, quòd Spiritus mundi ſubſiſteret Divinâ VERBI ſubſiſtentiâ, ac per conſequens, ſi aſſumpta fuiſſet, falſum eſſet illud divinum oraculum: *tota ſubſtantia panis &c. convertitur*; de hoc iterum erit ſermo.

XVI.

Vide. Petrum Cluniac. in epiſt. contra Petro bruſſian. Prateol. in alphabet. omn. hæreſ. lib. 1. Theodor. Petreũ de ſectis, Carthus. & alios juniores.

DOctrina, quæ ſemel ab Eccleſia eſt, ut hæretica, damnata, non debet adhiberi à viris catholicis ad apparentem ſolutionem dogmaticorum argumentorum, & præſertim in materia tanti momenti, qualis eſt Eucharistiæ: atquì dicere, ſub accidentibus eucharisticis manere aliquam ſubſtantiam, ſive partialem, ſive totalem, ſive materialem, ſive formalem, eſt dogma hæreticum: ergo &c. Probatur minor 1. Berengarius circa annum Dom. 1020. homo natione gallus, Archidiaconus Eccleſiæ D. Mauritij Andegavenſis, comprimìs negavit, eſſe verum corpus & ſangvinem Chriſti in Eucharistia, idq; ſub diverſis Pontificibus, nempe Benedicto V. & IX. Joanne XX. & Gregorio VI. à quibus eſt damnatus in Concilio Romano, Vercellenſi, & Turonenſi. Aſt anno 1055. repetijt errorem, ſic mutatum, ut doceret, cum corpore Chriſti manere ſubſtantiam panis, ſive pro materiali, ſive pro formali. Mox plurimorum ſcriptis, ac miraculis quoq; Sanctorum refutatus, anno 1079. canit palinodiam in Concilio Romano. Utrum pœnitens obierit anno 1088. ſub judice lis eſt. Dogma ergo eſt hæreticum, aſſerere aliquam ſubſtantiam formalem manere ſub accidentibus eucharisticis; ergo &c.

Tom. 2. concilior. gener. fol. mihi 565. pag. 2.

EA-

Eadem Minor Probatur II.

ALmaricus natione Gallus, patriâ Carnotenſis, Lutetiæ Pariſiorum doctorali laureâ inſignitus, eodem illo tempore, quo Albigenſes ibidem errores ſuos ſparsêre, abſurda quædam dogmata effutire eſt aggreſſus, docens nimirum, transſubſtantiationem non dari eucharisticam, ac per conſequens corpus Chriſti non aliter eſſe in pane eucharistico, quàm in alio pane, & in qualibet alia re. Sed hoc idem ſequitur ex reſponſione Pneumocoſmicorum, ut infra probabimus: ergo idem, quod prius. de illo in Extravag. de ſumma Trinitate & fide Catholica, cap. final. hic refertur anathematiſmus: *Reprobamus, & condemnamus perverſiſſimum dogma impij Almarici, cujus mentem pater mendaciorum ſic excæcavit, ut ejus doctrina, non tantùm hæretica, ſed & ſimul inſana ab omnibus cenſeatur.*

Vide Petrum Cluniac. in tract. de ſacrif. in epiſt. contra Petrobruſſiā. Prateol. in Elencho alphab. om. hæres. lib. 1. hæreſ. 1. illius.

III.

PRobatur 3. eadem minor: Joannes Wiclephus, natione Anglus. & profeſſione ſacerdos, promotione verò artium Magiſter: cùm Epiſcopatu Vigornienſi, ad quem aſpirabat, potiri non poſſet, factus eſt hæreſiarcha peſſimus, ſcripsitq; volumina aliquot, quibus in Eccleſiam catholicam vehementer debacchatus eſt. De quo hunc in modum Joannes Niderus, qui floruit anno 1410. ſcribit: *vivebat in Anglia infra ſexaginta annos quidam ſæcularis ſacerdos, artium profeſſor, acer ingenio, & eloquentiâ lepidus, ſed errore, ſcriptis, & vitâ nedum hæreticus, ſed hæreſiarcha, Joannes Wicleph dictus, qui in ſuis libellulis in Anglico, & latino, doctrinâ novâ rempublicam tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum ſubvertere molitus eſt. hujus articuli, quot pro tunc, & poſtea, & modo occulti ſunt, & facti ſunt hæretici in Anglia, nôrunt, qui ibi ſteterunt.* Imò non longè poſt Nideri tempora omnibus paſſim innotuêre per Concilium Conſtantienſe, in cujus ſeſſ. 8. enumerantur artic. 45. quos totidem verbis Prateolus recenſet. Porrò Hieronymus de Praga, qui ea tempeſtate in Anglia literis operam navabat, Wiclephi hæreſim avidè imbibens, atq; in hoc Bohemiæ Regnum rediens, eandem longè latéq; propagavit. Docebat autem inter cœtera Wiclephus, ſubſtantiam panis & vini abſolutè poſt conſecrationem in ſacramento eucharistiæ non deſinere eſſe. atquì ſecundùm Pneumocoſmicos ſubſtantia panis & vini abſolutè non deſinit

Thom. Wald. lib. 2. doctrin. fid. c. 60.

Joan. Nider. lib. 3. fornic. cap. 9.

Vide Theod. Petreum Carthuſ. Colon. Relig. Catalog. Hæreticorum.

nit eſſe in Evchariſtia, quia manet quoad formam: dogma ergo hæreticum in ſuis reſponſionibus ignoranti vulgo ipſi propinant, quando putant, omnibus ſe ſatisfeciſſe. verùm enim verò Spiritui Sancto omnis veritatis divino Doctori non ſatisfaciunt, nulli ſatisfaciunt.

§. 40.

Quid D. Thomas ad hæc?

D. Th. 3. p. q. 75. a. 2. in O. lib. 4. cont. gent. cap. 62. 64. in 4. diſt. 11. q. 1. a. 1. & diſt. 12. q. 1. a. 1. quodlib. 7. a. 5. quodlib. 9. a. 5. ad 3.

QUidam *poſuerunt* (dictat Angelicus Doctor) *poſt conſecrationem ſubſtantiam panis & vini in hoc ſacramento remanere. Sed hæc poſitio ſtare nullo modo poteſt. Primò quidem, quia per hanc poſitionem tollitur veritas hujus ſacramenti, ad quam pertinet, ut verum corpus Chriſti in hoc ſacramento exiſtat, quod quidem ibi non eſt ante conſecrationem. Non autem aliquid poteſt eſſe alicubi, ubi priùs non erat, niſi vel per loci mutationem, vel per alterius converſionem in ipſum. ſicut in domo aliqua de novo incipit eſſe ignis, aut quia illic defertur, aut ibi generatur. Manifeſtum eſt autem, quòd corpus Chriſti non incipit eſſe in hoc ſacramento per motum localem, primò quidem, quia inde ſequeretur, quòd deſineret eſſe in cœlo: non enim quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum, niſi deſerat priorem. Secundò, quia omne corpus localiter motum pertranſit omnia media: quod hîc dici non poteſt. Tertiò, quia impoſſibile eſt, quòd unus motus ejusdem corporis localiter moti, terminetur ſimul ad diverſa loca: cùm tamen in pluribus locis corpus Chriſti ſub hoc ſacramento ſimul eſſe incipiat, & ideo relinquitur, quòd non poſſit aliter corpus Chriſti incipere eſſe de novo in hoc ſacramento, niſi per converſionem ſubſtantiæ panis in ipſum. Quod autem convertitur in aliquid, factâ converſione, non manet. Unde relinquitur, quòd, ſalvâ veritate hujus ſacramenti, ſubſtantia panis poſt conſecrationem remanere non poſſit.*

Secundò, quia hæc poſitio contrariatur formæ hujus ſacramenti, in qua dicitur: hoc eſt corpus meum. Quod non eſſet verum, ſi ſubſtantia panis ibi remaneret: (nunquam enim ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti) ſed potius eſſet dicendum: hîc eſt corpus meum.

NB. * *Tertiò, quia contrariatur venerationi hujus ſacramenti, ſi aliqua ſubſtantia creata eſſet ibi, quæ non poſſet adoratione latriæ adorari.*

Quar-

Quartò, quia contrariatur ritui Eccleſiæ, ſecundùm quem poſt corporalem cibum ſubſtantialem non licet ſumere corpus Chriſti: cùm tamen poſt unam hoſtiam conſecratam liceat ſumere aliam. Unde (concludit Doctor Angelicus) hæc poſitio vitanda eſt, tanquam hæretica. Satis eſt. Vitandi ergo ſunt Pneumocoſmici Scriptores aſſerentes, ſub accidentibus Eychariſticis delitèſcere ſimul cum corpore Chriſti formam ſubſtantialem panis. Quibus præſtaret ſine dubio cum S. Ambroſio lib. 4. de Sacram. cap. 4. & lib. 6. cap. 1. tom. 4. qui refertur de conſecrat. diſt. 2. Cap. omnia. dicere; *licet figura panis & vini videatur: tamen nihil aliud, quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt.* ergo &c. Ex hucusq; dictis Chriſtiane Lector, conſtat, quòd non Philoſophorum grex, ſed Eccleſia Dei ſpiritum mundi nullum eſſe oſtendat, ac per conſequens, dato, ſed non conceſſo, quòd daretur, neceſſariò debuiſſet converti per primam conſecrationem Chriſti in corpus ipſius, formatum animâ rationali, ut expoſuimus cum D. Thoma.

Deniq; ſi datur ſpiritus mundi realiter indiviſibilis, nulla fit immutatio realis in forma ſubſtantiali panis, ac per conſequens non convertitur forma ſubſtantialis A. v. g. quoad ſuam hæcceitatem realem in formam ſubſtantialem corporis Chriſti: ergo inanis eſt excogitatio Pneumocoſmicorum, qui aſſerunt non manere hanc formam quoad ſuam hæcceitatē. Probatur antecedens: nulla ſubſtantia convertibilis eſt in ſe ipſam, bene tamen in aliam realiter diſtinctam: atquì forma ſubſtantialis panis A. non eſt realiter diſtincta à forma ſubſtantiali corporis Chriſti; ergo forma ſubſtantialis A, quoad ſuam hæcceitatem abſolutè non convertitur. Nulla ergo fuit facta mutatio quoad hæcceitatem. Major ex terminis conſtat: minor eſt dogma adverſariorū: conſequentia legitimè infertur. Quippè hæcceitas formæ ſubſtantialis non eſt aliqua entitas realiter diſtincta ab ipſa forma: ergo hæcceitas ſpiritûs mundi eſt realiter indiſtincta ab ipſo ſpiritu: ergo hæcceitas formæ ſubſtantialis panis A, eſt realiter eadem hæcceitas Spiritûs mundi: ergo hæcceitas formæ ſubſtantialis corporis Chriſti eſt eadem realiter cum hæcceitate non ſolùm ſpiritûs mundi, ſed etiam formæ ſubſtantialis panis A. ergo manet forma ſubſtantialis panis A. ſub Eychariſticis accidentibus non ſolùm ut eſt communis pani & corpori Chriſti ſecundùm

gradum genericum, vel ſpecificum: ſed etiam ut eſt hæc forma A. ergo nulla fit mutatio realis per verba conſecrationis in forma ſubſtantiali panis A. ergo non fit ſacramentum: conſequentia hæc ex aiijs deducitur legitimis conſequentijs. Negata enim converſione totius ſubſtantiæ panis, ut columna docet veritatis, in corpus Chriſti, quomodo ſubſiſtet res & ſacramentum ſimul Eucharistiæ? Ipſi videant Pneumocoſmici, quorum paritas in morte humana adducta in humanam ipſorum expugnationem in Eccleſiam Apoſtolicam, Catholicam, Romanam, & ignorantiam ſimul in rebus philoſophicis conſpicuè oſtendit.

§.
Quid divini Theologi?

§.
Criſis M. Dominici Soto.

An ex veritate formulæ conſecrationis efficaciter colligatur deſitio ſubſtantialis panis & vini?

ADeò viſa eſt vera M. Soto doctrina prælibata Doctoris Angelici, ut ante decretum Concilij Tridentini in 4. diſt. 11. q. 2. a. 2. ſ. ad hæc, dixerit: impugnantes D. Thomam quoad hoc, *quod verba conſecrationis non poſſent verificari, ſi maneret ibi aliqua ſubſtantia panis, ac proinde ex veritate verborum convinci deſitionem ſubſtantiæ panis & vini*: non tam ipſum, quàm Eccleſiæ ſanctiones impugnare, eò quòd doctrinam ſuam de converſione ſubſtantiæ panis & vini in corpus, & ſangvinem Domini Noſtri JESU Chriſti, hauſerit D. Thomas ex generali Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. firmiter de ſumma Trinitate. ubi non datur alia ratio præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, niſi transſubſtantiatio. Ac per conſequens, dicendum nobis eſt, *ex veritate verborum formulæ conſecrationis colligi efficaciter deſitionem panis & vini in Euchariſtia.*

Concluſio.

§.
Damus verba Sacri Concilij.

U*Na eſt fidelium univerſalis Eccleſia* (definierunt SS. Patres Sacri Concilij Lateran. citato cap. anno Chriſti 1215.) *extra quam nullus omnino ſalvatur. In hac idem ipſe ſacerdos & ſacrificium* J E-

Digitized by Google

JESUS Chriſtus, corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur, transſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divinâ. Ex his rectè infertur, quòd ſi ſubſtantia panis & vini maneret ſub proprijs accidentibus, non poſſent verificari conſecrationis verba, quod ſubjectâ demonſtratione jam oſtendimus.

APODIXIS.

IMplicat de potentia DEI abſolutâ, quòd ſubſtantia hæc panis A. verb. gr. invariata realiter manens, & cum propria ſubſiſtentiâ B. ſit corpus Chriſti ſecundùm eſſentialem identitatem hujus carnis humanæ, divinitus ſubſiſtentis: vel alijs terminis: implicat, quòd hæc ſubſtantia panis A. prædicetur de corpore Chriſti, & è converſo, prædicatione in quid tranſcendentali, qualis eſt iſta: hæc ſubſtantia panis eſt ens, cujus ſubjectum inter & prædicatū nulla eſt realis diſtinctio, ut eſt in confeſſo apud omnes Metaphyſicos; implicat ergo, quòd ſit vera hæc propoſitio: *hoc eſt enim corpus meum*, ſi ſubſtantia hæc panis A. proprijs concluſa terminis exiſtentiæ & ſubſiſtentiæ, naturaliter manet. Conſequentia conſtat: nam ab eo, quod res eſt in ſe, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa. antecedens, etſi notum ſit divinis Theologis, nihilominus, in gratiam Pneumocoſmicorum lippientium, ſic oſtenditur: ſi talis propoſitio aliqualiter vera eſſet, maximè propter unitatem identitatis, identitatémq; unitatis formalis hujus formæ ſubſtantialis panis A. cum hac forma corporeitatis, vel vegetativâ corporis Chriſti Domini: atquì gratìs admiſsâ unitatis formalis identitate, manente ſubſtantiâ panis A. cum propria ſubſiſtentiâ, eſt falſa prædicta propoſitio: ergo &c. Major eſt ſolutio Pneumocoſmicorum, ſolutione ad primum argumentum, ubi ſic reſolutoriè dicunt: *Non definivit autem Eccleſia perire ſimul formam ſubſtantialem & materialem, Chriſto & panis viniq; compoſito communem &c.* Minor evidenter oſtenditur: non eſt excogitabilis, nec divinitus, nec humanitus, major identitas naturalis inter ſuppoſita realiter diſtincta, & in eſſe ſuppoſitorum completa naturaliter, quàm ea, quæ datur inter æternum Patrem & coæternum Filium, & coæternum Spiritum Sanctum: atquì ſtante hac ſummâ identitate divinarum perſonarum in divina naturâ, ſeu naturæ divinæ cum tribus perſonis realiter diſtinctis, eſt falſa omnino

Digitized by Google

hæc propoſitio: Pater æternus eſt filius, vel è converſo, & adeò falſa, ut ſicut repugnat (quin imò nulla eſt in DEO ad hoc potentia) quòd Pater ſit Filius in divinis: ita pariter per locum ab intrinſeco repugnat excogitatio veræ omnipotentiæ in DEO, & reſpectu divini intellectûs, ut verificetur hæc propoſitio: Filius DEI ſecunda perſona in Trinitate eſt Pater prima perſona; ergo pariter, gratìsque admiſſâ unitatis formalis identitate, ſive ſecundùm conceptum genericum, ſive ſecundùm ſpecificum, ſive tandem ſecundùm individualem inter formam ſubſtantialem panis, & corporeitatem Chriſti Domini, nullus datur locus, ut verificetur in concreto hæc propoſitio: *hoc eſt enim corpus meum*, manente ſubſtantià panis cum propria ſubſiſtentia, & Chriſti corpore invariato (ut ſupponimus) nec converſo in panem, quod fieri poſſe ex vi alterius providentiæ omnipotenti DEO non negamus. Eſt enim omnino vera defacto hæc propoſitio: *hoc eſt enim corpus meum*, utpote identica, qualis eſt iſta: ego ſum Chriſtus. ergo ex neceſſitate ſequitur ex veritate verborum formulæ conſecrationis, efficaciſſimè comprobari deſitionem panis & vini, quoad ſubſtantiam.

§.

Criſis Primarij Doctoris Salmanticenſis, ſuppoſito decreto Concilij Tridentini ſeſſ. 13. cap. 4. quod in ſuperioribus allegatum eſt.

REverendiſſimus Dominus Pater Magiſter de Somoza, Sacri Ordinis Sancti P. Noſtri Benedicti, Monachorum Patriarchæ, Magiſter Generalis, Cathedræ primariæ Theologiæ in Alma Academia Salmantina actualis Moderator & Venerabilis Decanus, & in ſupremo ſanctæ ac intemeratæ inquiſitionis contra hæreticam pravitatem Senatu Qualificator Sapientiſſimus, meus obſervandiſſimus olim Abbas, nimirum anno gratiæ 1661. 1662. 1663. incluſivè, Salmanticæ, in Collegio S. Vincentij, Dominus & Magiſter meus ſemper colendus, in tract: de Euchariſtia cum alijs DD. cenſet, & à me conſultus, reſpondet, quòd ex definitione Concilij Tridentini ſeſſ: 13. cap. 4. non ſolùm veritas ipſa, ſed & fundamentum ejus ita apertè deducitur, ut qui aſſereret, nihil panis & vini in hoc Sacramento rema-

remanere, negaret tamen id ex prædictis conſecrationis verbis colligi, eodem modo hæreticus eſſet, ac ſi ſanctionem ipſam de tranſubſtantiatione negaret; eò quòd hoc fundamentum, non quómodocunque, ſed ut à tota Eccleſia approbatum, in ſacro definiatur Concilio Tridentino, &c.

Criſis aliorum Doctorum.

VEnerabilis P. & Doctor Eximius Franciſcus Svarez, ſingularis ſanctitatis vir, diſp. 49. de Euchariſtia aſſerit, opinionem negantem ex vi verborum convinci deſitionem ſubſtantiæ panis & vini, favere hujus temporis hæreticis, & nullo modo poſſe defendi.

Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus D. Franciſcus Araujo, Epiſcopus Segovienſis, & quondam primarius Salmanticenſis, ad q. 75. D. Thomæ a 2. unum. 3. ait: eſſe temerariam.

M. Cornejo ibidem eſſe improbabilem. Card. de Lugo diſp. 7. de Euchariſtia ſect. 11. num. 192. docet, hanc fidei veritatem ſufficienter ex Chriſti verbis haberi, & non ſolùm ex Eccleſiæ definitione. quod minùs cautè negarunt Scotus in 4. diſt. 11. q. 4. Durandus ibidem q. 1. Paludanus diſt 11. q. 3. exiſtimantes, deſinere quidem per verba conſecrationis ſubſtantiam panis & vini, non tamen hujusmodi deſitionem colligi ex veritate verborum conſecrationis &c. *num. 11. q. 2. a. 1.*

§.

Expugnatur Subtilis Doctor à Doctoribus.

NOs minimè latet ſubtiliſſimum Doctorem Scotum in 4. diſt. 11. q. 4 quem ſequuntur Mayor quæſt 1. Gabriel quæſt. 2. & lect. 25. in can. miſſ. aſſeruiſſe formam panis manere in Euchariſtia, quia ſolùm accidentaliter à paſta, quæ in furno recepit duritiem & ſaporem, differt. Cujus ſententiam Card. Bellarminus lib. 3. de Euchariſt. cap. 11. damnat, ut erroneam. Nuño tract. de Euchariſt. a. 6. dicit habere aliquam temeritatem, & eſſe minus tutam in fide. Cornejo in 3. part. D. Thomæ quæſt. 75. a. 2. dub. 3. eſſe temerariam & errori proximam. idem Cajetanus & Sotus.

Digitized by Google

§.

Vindicatur Subtilis Doctor à calumnijs verâ doctrinâ D. Thomæ.

DOctor Angelicus in 4. ſenten. diſt. 11. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 3. dicit: *ſi autem non eſt forma ſubſtantialis, quæ eſt per artem inducta, per quam panis eſt panis, ſubſternitur forma ſubſtantialis accidentali, ſcilicet forma farinæ; triticum enim jam à ſua ſpecie eſt corruptum, quia non manet ejus operatio, ut poſſit ſibi ſimile operari.* Ex quibus conſtat, quòd forma panis uſualis eſt accidentalis, utpote per artem inducta. Unde quidni, quod maneat? non ergo eſt temeraria Doctoris ſubtilis opinio, ſed veriſſima.

I I.

LIcet ſit ab Eccleſia definitum, quòd tota ſubſtantia vini in ſangvinem JESU Chriſti convertatur, manentibus duntaxat accidentibus utriusque ſubſtantiæ, nihilominus non eſt ab Eccleſia definitum, nec ex revelatis principijs deduci poteſt, quòd panis in eſſe panis uſualis conſtituatur tantùm per formam ſubſtantialem, unde forma accidentalis artificialis addi poteſt ſubſtantiali, qualis forma erit paſtæ, vel farinæ, & id genus alia, per quam conſtituatur in eſſe panis uſualis. Debet ergo iſta forma accidentalis cum reliquis panis accidentibus naturalibus poſt conſecrationem remanere. Ubi eſt ergo modò Scotica temeritas? uno verbo, ſive Michaël, ſive Gabriel contrarium dictet, forma ſubſtantialis panis convertitur: ergo ſi datur præter formam ſubſtantialem alia accidentalis, ab arte inducta, & à qua panis accidentaliter denominatur panis, conſequens eſt, quòd hæc forma panis poſt conſecrationem maneat. Ergo &c. his nihil obſtantibus.

§.

Probabilius eſt, quod forma, per quam panis in eſſe panis conſtituitur, eſt ſubſtantialis, ac per conſequens poſt conſecrationem hæc non manet, ut eſt de fide.

PRo hac noſtra deciſione ſtat D. Thomas 3. p. q. 75. a 6. ſolut. ad 1. ubi ſic: *dicendum, quòd nihil prohibet arte fieri aliquid, cujus for-*

forma non eſt accidens ; ſed forma ſubſtantialis. ſicut arte poſſunt produci ranæ, & ſerpentes: talem enim formam non producit ars virtute propriâ, ſed virtute naturalium principiorum, & hoc modo producit formam ſubſtantialem panis virtute naturalis agentis, decoquentis materiam ex farina & aqua confectam. Hæc S. Doctor, qui non eſt ſibi contrarius in 4. ſententiarum, quia ibi ſolùm conditionatè locutus eſt. &c.

§.

Criſis totius Eccleſiæ.

DEclaramus juxta ſanctionem Concilij Lateranenſis, Tridentini, & Florentini, hæreticam eſſe opinionem Durandi aſſerentis, manere in ſacramento Euchariſtiæ, peractâ conſecratione, materiam panis, ut ſic ſalvaret commune ſubjectum ſub utroq; termino converſionis, & myſterium converſionis panis in corpus Chriſti hac viâ faceret magìs intelligibile. Nunquid Durandus propterea hæreticus? minimè: quia ſcripta ſua correctioni S. Matris Eccleſiæ ſubjecit, & hanc opinionem ſine contumacia, non tamen ſine ignorantia, defendendam propoſuit.

Criſis in doctrinam Gottphredi.

ERronea eſt opinio Gottphredi aſſerentis quodl. 8. quæſt. 177. manere in ſacramento Euchariſtiæ poſt conſecrationem ſubſiſtentiam panis, eò quòd ejus ſubſiſtentia non eſt accidens, ſed modus quidam ſubſtantialis. Erronea, inquam, eſt, quia Tridentinum can. citato, definit, *duntaxat accidentia panis remanere.* ad quid plura? ergo &c.

§.

Criſis in doctrinam M. Bannez Anno Domini 1614. primariæ Cathedræ in Salmanticenſi Univerſitate Regentis.

NOn ſolùm eſt falſum, ſed etiam periculoſum in fide, aſſerere poſt conſecrationem manere exiſtentiam panis. Contrarium docuit prædictus Doctor 1. p. q. 4. a. 2. dub. 2. Hanc tamen opinionem in ſecunda editione retractavit, adjiciens, nihil in ea

ea contra fidem contineri, prout multi Doctores ſapientiſſimi, ab ipſo conſulti, docuerunt. Salvâ tamen pace tantorum Doctorum, iſte modus dicendi ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus, quandoquidem poſt conſecrationem *duntaxat manent accidentia panis & vini*: ad quid quæſo, debet manere panis exiſtentia?

§.

Bannêz opinio expungitur.

EXiſtentia cujuslibet accidentis, realiter diſtincti à ſubſtantia, realiter diſtingvitur ab exiſtentia ſubſtantiæ, ut docent Card. Cajetanus cap. 5. de ente & eſſentia. Sonzinas 7. metaph. ſect. 5. Soto in 4. diſt. 10. quæſt. 2. Scotus in 2. diſt. 11. quæſt. 1. imò ipſe D. Thomas in 1. diſt. 3. q. 2. a. 3. univerſaliter docet, quodlibet accidens addere aliquod eſſe ſubſtantiæ. & libro 2. contra Gent. cap. 52. ratione 1. dicit: *Sorti præter ſuum eſſe ſubſtantiale ineſt album, quòd quidem diverſum eſt ab ejus eſſe ſubſtantiali: non enim eſt idem eſſe Sortem, & eſſe album, niſi per accidens*. ſimilia docet Doctor Angelicus 3. p. q. 17. & alibi ſæpe. Ratio eſt manifeſta: quia exiſtentia in via Thomiſtarum eſt à forma; accidentia autem ſunt formæ, ſuperadditæ ſubſtantiæ, dantes novum eſſe realiter diſtinctum ab eſſe ſimpliciter: ergo & exiſtentia accidentium realiter differt ab exiſtentia ſubſtantiæ. Deniq; exiſtentia, ſecundùm Thomiſtas, eſt actus eſſentiæ, ac proinde illi proportionatus, & adæquatus, atq; adeò debet eſſe in eodem genere cum eſſentia, cujus eſt actualitas ultima: ergo exiſtentia ſubſtantiæ non eſt exiſtentia accidentis, niſi radicaliter, ſeu originativè. Vide Martinez de Prado 1. parte ſuæ metaph. controverſ. 7. Hæc omnia dicta ſint in ſenſu ſatis probabili Thomiſtarum. Verùm enim verò in philoſophicis inſtitutionibus diximus, exiſtentiam rei ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, non diſtingvi realiter à quidditate ſingulari ipſius rei, propterea hîc ad verba Sacri Concilij Tridentini recurrentes, ſic diſcurrimus: Nihil ſubſtantiæ manet: ergo neq; exiſtentia. patet conſequentia, quia exiſtentia panis nihil eſt aliud, quàm ipſa ſubſtantia panis. Ultimò, nihil ſubſtantiæ manet: ergo neq; exiſtentia. patet conſequentia: quia exiſtentia, etſi ponatur diſtincta, eſt aliquid ſubſtantiæ: ergo &c.

§. Cri-

Digitized by Google

§.

Criſis ultima in Opinionem Rhicardi, Henrici, & Thomæ Waldenſis.

ERronea eſt non ſolùm in vera Philoſophia, & metaphyſica, ſed etiam in ſacra Theologia, & ſecundùm definitiones ſacrorum Conciliorum hæretica, opinatio Rhicardi de Eucharistia art. 11. Henrici quodlib. 9. Waldenſis tom. 2. de ſacrament. cap. 48. & 69. aſſerentium, manere in Eucharistia poſt conſecrationem gradum genericum ſubſtantiæ panis, ſive individualem abſq; generico & differentiali &c. Quod autem ſit erronea, facilè oſtenditur, unde ſit.

Vide Cajetan. comment. inq. 75. 3. part. D. Thom. ad a. 3. ad illa verba: Cave, ne fallaris. ubi quoadmodum intelligendi favet AA. citatis, quidquid dicat M. Cornejo.

§.

APODIXIS I.

IMpoſſibilis eſt poſitio Platonis de univerſalibus ſeparatis: ergo & opinio Henrici, Rhicardi, & Waldenſis ponentium gradum genericum ſubſtantiæ ſeparatum à ſpecifico & individuali. probatur antecedens: univerſalia Platónica ſecundùm probabilem ſententiam Metaphyſicorum * erant producta per Dei actionem creativam: atqui ex hoc capite repugnantiam præſeferunt: nam omnis actio productiva Dei ad extra ad particulare terminatur: erunt igitur illa univerſalia aliquid ſingulare: ſed eadem ratio realiter non eſt univerſalis & ſingularis; ergo &c. conſequentia, quæ eſt à paritate legitima, probatur ſic: ille gradus genericus ſubſtantiæ, qui maneret ſeparatus à ſpecifico & individuali realiter, eſſet deſignabilis ut quid exiſtens in ſe, & ut quid diſtinctum ab omnibus alijs ſpeciebus & individuis mundi, ſed quod eſt deſignabile, ut indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio, eſt unum numero, eſſentialitérq; ſingulare: ergo ille gradus genericus eſſet ſingulariter individuus & ſimul univerſalis, quippè ſeparatus ab individuis, & ſpecificis gradibus ſubſtantiæ &c. quod ex terminis involvit repugnantiam: ergo poſitio prædictorum Authorum impoſſibilis eſt & erronea.

Ariſt. 3. Metaph. à capit. 3. uſq; ad 9. & 2. Phyſic. text. 18. & 19. ibidem D. Thom. & 1. p. q. 15. a. 1. ad 1. & q. 48. a. 1. & in 1. Sent. diſt. 56. q. 2. a. 1. ad 1. Averroës. 12. Metaph. c. 18. Alex. 1. Poſterior. cap. 8. Themiſt. 1. de anim. c. 28. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 24. Carh. in 1. diſt. 36. q. 1. ad 4. Boëtius in initio logicæ. Soto, q. 1. univerſ. &c.

I I.

PLato non poſuit gradum aliquem genericum ſeparatum, & de ſpeciebus prædicabilem, ſed ſpeciem integram v.g. hominem, equum, leonem &c. per ſe ſubſiſtentem, & uniuſcujusq; individui intra ſpeciem contenti formatricem, ac proinde de eodem prædicabilem. Sed iſta poſitio Platonis, quæ ſpecietenus probabilis potuit apparere, ut erronea ab omnibus deprædicatur: ergo non poſſumus laudibus efferre Philoſophicis Henricum & Rhicardū &c. quandoquidem multò magis, quàm Plato, à veritatis ſcopo declinarunt: ergo &c.

I I I.

OMnes Metaphyſici, & Philoſophi dicunt, gradus ſuperiores & inferiores realiter eſſentialitérq; identificari cum rei uniuscujúsq; ſingularitate: ergo nequit ſupremus gradus ſalvari ſine infimo realiter, neq; infimus interire, quin cuncti intereant: ergo &c.

I V.

FAlſum eſt, Platonem poſuiſſe univerſalia, ſive ideas realiter exiſtentes extra primam cauſam: ergo ſine authoritate alicujus nobilis Philoſophi diſtingvitur gradus genericus ab individuali & ſpecifico. Pro antecedente ſtant D Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 46. & lib. 13. de civit. Dei cap. 26. & lib 7. de civit. Dei cap. 28. D. Dionyſ. de divinis nominibus cap. 7. Baſilius, Origenes. Gregorius Nazianz. apud Durandum in 1. diſt. 36. q. 3. & in 2. diſt 13. q. 6. qui eandem nobiſcum tenet ſententiam. Marſilius quæſt. 1. prolog. Major in 1. diſt. 47. Scotus diſt. 35. Apulejus de dogmatibus Platon. Jamblicus Porphyrij diſcipulus in ſymbolis Platon. Donatus Euſtratius, & Serranus 1. ethicor. cap. 6. Niphus 7. metaph. diſp. 7. Plotinus dialog. de pulchro. Marſilius Ficinus lib. 2. de Theologia Platonis. Georgius in harmonia Mundi canticor. 1. tom. 1. cap. 9. & canticor. 2. tom. 1. Euſebius de præparatione Evangelica. Seneca lib. 8. Epiſtol. ultima. Eugubinus de perenni Philoſophia lib. 1. cap. 17. & 20. Cicero 1. Academ. qq. Plutarch. lib. 1. de placitis Philoſophorum. Simplicius 2. phyſ. tex. 18. Palacius lib. 1. de anima tex. 8. & 2. ſentent. diſt. 3. quæſt. 1. fol. 44. verſ. 2. Stapulenſis in

Digitized by Google

in introduct. metaph. Ferrel. lib. de abditis rerum cauſis cap. 10. Cœlius Rhodiginus lib. 16. cap. 7. Pierius lib. 26. cap. de garrulit. Villalpandus in prædicabilibus. D. Thomas opuſc. 20. & de regimine Principum cap. 4. dicit: Ariſtotelem ſæpe aliorum dicta in alium ſenſum detorſiſſe, & in minùs probabiles ſententias traxiſſe, ut ſic meliùs ſuam firmaret ſententiam: nam fingebat monſtra, quæ ſuperare poſſet. & Abulenſis in prolog. Genes. fol. 10. Ariſtotelem invidum appellat, & qui falsò hanc ſuo Magiſtro opinionem impoſuit, & alij complures idem ſentiunt: ſed quod ſine authoritate & ratione dicitur, falſum eſt: ergo &c.

Quòd ſit hæretica dicta poſitio, ſic oſtenditur.

APODIXIS I.

IN Evchariſtia manent duntaxat accidentia panis & vini: ergo nullus manet gradus ſubſtantiæ. patet conſequentia, quia tam gradus genericus ſubſtantiæ, quàm individualis, eſt ſubſtantia: unde ſi illi manent, non illa ſola manent.

I I.

GRadus ille genericus panis, vel deſumeretur à materia panis tantùm, vel à forma ſolùm, vel à tota eſſentia compoſiti, ex matéria & forma conflati? ſed ſi à materia tantùm, eſſentialiter ille erit materia prima, & conſequenter hæc numero materia: non ergo communis manebit panis ille gradus. Ex quo iterum ſequetur, quòd ſit impoſſibilis ejus exiſtentia & remanentia. Sequela probatur: materia prima ſecundùm D. Thomam nec divinitus poteſt exiſtere ſine forma ſubſtantiali: ergo multò minùs ille gradus genericus. 2. Gradus genericus eſt prædicabilis de ſpeciebus ſubjectis: ſed, ſi à materia tantùm ſumitur, nullas habebit ſub ſe ſpecies, de quibus prædicetur: repugnat ergo talis gradus genericus. Si verò à forma tantùm ſumatur, non erit gradus genericus, ſed differentialis: eſt autem genericus; ergo &c. 2. Si à forma ſumatur, petimus, an ſit realiter diſtinctus ab illa, vel non? ſi eſt realiter diſtinctus, vel eſt ſubſtantia, vel accidens? ſi eſt accidens, maneat cum Chriſto in altari, non propterea cauſabimur. ſin ſubſtantia,

ſequitur, quòd gradus ſpecificus panis non eſt converſus in corpus Chriſti, quòd adverſarij non admittent: repugnat ergo æquè ille gradus genericus, ſive à materia tantùm, ſive à forma præcisè, & diviſivè ſumatur. 3. Formalitas ſubſtantialis, quæ realiter ſubſiſtit ſeparata ab omni materia ſenſibili & ſingulari, eſt actu intelligens: atquì ille gradus, qui potuit ſeparari à forma panis, non eſt ſubſtantia intelligens actu, nec intellectiva in actu primo, quin imò hoc illi repugnat: ergo &c. 4. Ille gradus (ſive à forma, ſive à materia ſumatur) vel exiſtit propriâ, vel alienâ, ſeu divinâ ſubſiſtentiâ: non divinâ, quia inde ſequeretur, quòd divinum Verbum quotidie impanaretur, quod etiam eſt manifeſtus error; ergo propriâ: aſt ſubſiſtentia quævis ex meritis proprijs eſt modus non communis, ſed ſingularis naturæ: non ergo manet gradus ille genericus ſubſtantiæ (ut putarunt adverſarij) propriâ præcinctus ſubſiſtentiâ. Deniq; ſi gradus ille genericus ſubſtantiæ à toto ſumatur compoſito, primùm ſequetur inde, quòd ſit completa ſpecies ſubſtantiæ panis, & quidem ſeparata juxta Platonicam mentem. Ex quo 2. conſequitur, quòd ſubſtantia panis, ſpecificè ſumpta, non ſit converſa in corpus Chriſti, quod eſt hæreſis. 3. Subſequeretur apertum contradictorium: videlicet, quòd ſubſtantia panis, ſpecificè ſumpta, realiter ac phyſicè ſit converſa in corpus Chriſti, & quòd eadem quoad ſpeciem realiter non ſit converſa. Sequela probatur: inprimìs, quòd ſit converſa phyſicè quoad gradum ſpecificum ſupponitur, nam contrarium à nullo dicetur Catholico: atquì etiam ſupponitur remanere gradum complexum ſubſtantiæ panis, utpote à toto compoſito derivatum, propriâ terminatum ſubſiſtentiâ, & exiſtentiâ completum, ac proinde extra omnes cauſas: cum ergo ſubſtantia panis propriâ veſtita ſubſiſtentiâ, ſit vera natura panis, evidenter ſequitur ex præmiſſis, quòd non fuiſſet converſa ſubſtantia panis quoad ſuam naturam ſpecificè ſumptam: utrumque ergo ſequitur, & quòd ſit converſa, & quòd non ſit converſa realiter ſecundùm eandem perfectionem ſpecifici gradûs: ſed hoc ſine contradictionis vitio non contingit: ergo &c. Quamvis ex dictis ſufficienter oſtenſa fuerit realis unitas individualis gradûs cum omnibus ſuperioribus, nihilominus quia diſtinctionis degradatione profectò non eſt dignus, idcirco præmittere decrevimus ſacrarum

rum

rum Liturgiarum Canonicas cœremonias, nec non conſecrationis panis & vini formulas, quibus Græca, Ægyptiaca, Æthiopica, & Latina una Eccleſia Apoſtolica Catholica Romana utitur, ut ex unanimi Eccleſiarum conſenſu identitas inferioris gradûs cum ſuperioribus conſpicua ſatìs appareat.

§.

Refertur Triſagium Græcæ Eccleſiæ.

Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαὼθ, πλήρης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ τῆς δόξης σου ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις.

Id eſt:

SAnctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabbaoth. pleni ſunt cœli & terra gloriâ tuâ, Oſanna in excelſis. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.

Lithurgia:

Μετὰ τούτων καὶ ἡμεῖς τῶν μακαρίων δυνάμεων δέσποτα φιλάνθρωπε βοῶμεν καὶ λέγομεν, ἅγιος εἶ καὶ πανάγιος σὺ καὶ ὁ μονογενής σου υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον. ἅγιος εἶ καὶ πανάγιος, καὶ μεγαλοπρεπὴς ἡ δόξα σου, ὃς τὸν κόσμον σου οὕτως ἠγάπησας, ὥστε τὸν μονογενῆ σου υἱὸν δοῦναι, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, μὴ ἀπόληται, ἀλλ᾽ ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. ὃς ἐλθὼν, καὶ πᾶσαν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν οἰκονομίαν πληρώσας τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, μᾶλλον δὲ ἑαυτὸν παρεδίδου ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, λαβὼν ἄρτον ἐν ταῖς ἁγίαις αὐτοῦ, καὶ ἀχράντοις καὶ ἀμωμήτοις χερσὶν, εὐχαριστήσας καὶ εὐλογήσας ἁγιάσας κλάσας, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, καὶ Ἀποστόλοις εἰπών.

Id eſt:

CUm his, & nos beatis potentijs, Domine clementiſſime, clamamus, & dicimus, Sanctus es, & Sanctiſſimus tu, & unigenitus tuus filius, & Spiritus tuus Sanctus; Sanctus es, & Sanctiſſimus, & magnifica gloria tua, qui mundum tuum ſic dilexiſti, ut unigenitum tuum filium dares, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, qui cum veniſſet,

& omne ſuper nos mandatum compleſſet, nocte, qua tradebatur, vel potiùs ſe tradens pro mundi vita, accipiens panem in ſanctas & intemeratas, ac immaculatas manus ſuas, gratias agens, & benedixit, ſanctificavit, fregit, dedit ſanctis ſuis diſcipulis & Apoſtolis, dicens:

§.

Formula conſecrationis panis:

Λάβετε, φάγετε, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ἀμήν.

Id eſt:

Accipite, manducate, hoc meum eſt corpus, quod pro vobis frangetur in remiſſionem peccatorum. Amen.

Ὁμοίως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λέγων.

Hoc eſt:

Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens:

Formula conſecrationis Calicis:

Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ἀμήν.

Id eſt:

Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſangvis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & pro multis * effuſus eſt in remiſſionem peccatorum. Amen.

** hic ponitur præteritũ pro futuro: ut mos eſt apud Hebræos.*

Κύριε ὁ τὸ πανάγιον πνεῦμα ἐν τῇ τρίτῃ ὥρᾳ τοῖς Ἀποστόλοις καταπέμψας, τοῦτο ἀγαθὲ μὴ ἀντανέλῃς ἀφ' ἡμῶν.

Id eſt:

Domine qui Sanctiſſimum Spiritum tertiâ horâ Apoſtolis miſiſti, hoc * optime ne aufferas à nobis.

** hoc pro hunc. quia Pneuma, id eſt, ſpiritus, generis neutri Græcis eſt.*

Εὐλόγησον δέσποτα τὸν ἅγιον ἄρτον σῶμα τοῦ χριστοῦ σου.

Id eſt:

Benedic Domine Sanctum panem, Corpus Chriſti tui.

Com-

Digitized by Google

Communio Græcorum.

Μετάδος μοι δέσποτα τὸ τίμιον, ϗ ἅγιον σῶμα τȣ͂ κυρίου, ϗ Θεοῦ, ϗ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησου χριςȣ͂.

Id eſt:

IMpartiaris mihi, Domine, pretioſum & Sanctum corpus Domini & DEI, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti.

Μεταδίδωμί σοι τὸ τίμιον, ϗ ἅγιον, ϗ ἄχραντον σῶμα τȣ͂ κυρίου, ϗ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριςοῦ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ϗ εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Id eſt:

IMpartior tibi pretioſum, & Sanctum, & immaculatum corpus Domini & Dei, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti, in remiſſionem peccatorum in vitam æternam.

Communio Diaconi.

Sacerdos dicit: Διάκονε πρόσελθε.

Id eſt:

Diacone, accede.

Diaconus: Ἰδὸυ προσέρχομαι τῷ ἀθανάτω Βασιλεῖ.

Id eſt:

Ecce venio ad immortalem Regem.

Sacerdos: Μεταλαμβάνεις ὁ δοῦλος τȣ͂ Θεȣ͂ Διάκονος N. τὸ τίμιον, ϗ ἅγιον σῶμα, ϗ αἷμα τȣ͂ κυρίȣ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριςȣ͂, εἰς ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν σου, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Id eſt:

ACcipe ſerve DEI Diacone. N. pretioſum, & Sanctum corpus, & ſangvinem Domini & Salvatoris Noſtri JESU Chriſti in remiſſionem peccatorum tuorum, & in vitam æternam.

§.

Reſponſio Græcorum ad Nuncium Apoſtolicum.

GRæci Venetijs agentes anno Chriſti 1570. reſponderunt ad Claudium Cardinalem Guiſianum: credimus ac confitemur: panem in Chriſti corpus, ac ſimili ratione vinum in ſangvinem

nem Chriſti ita mutari, ut neq; panis, nec vinum maneant. & concluſerunt: cùm Chriſtus ait: *hoc eſt corpus meum.* panem, qui conſecratur in ara, non ſignum, ſed ipſum Domini corpus eſſe demonſtrat. non enim dixit: hoc eſt ſignum: ſed, hoc eſt corpus meum. Quippè vi quadam ineffabili fit mutatio, tametſi nobis videatur eſſe panis.

§.

Cenſura Orientalis Eccleſiæ in Confeſſionem Auguſtanam Lutheranorum.

HIeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus anno Chriſti 1570. in reſponſione prima ad cap. 13. dictæ confeſſionis de uſu Sacramenti, ſic ait: revera tranſmutatur panis, & poſtea verus panis fit: cujus rei ratio & modus nullo ingenio, nullo ore humano explicari poteſt &c. ac fit à nobis quidem oblatio: fit verò inviſibiliter ſacrificium, ſpecierúmq; ſubſtantialium mutatio, in ipſum corpus & ſangvinem Domini. & reſponſione ſecundâ ad cap. 4. ſic: Panis fit corpus Chriſti, & vinum & aqua ſangvis Chriſti ſuperventu Spiritûs Sancti ea tranſmutantis ſupra hominum rationem & cogitationem, in corpus & ſangvinem Chriſti: nec duo jam ſunt, ſed unum & idem, non eſt porrò panis, & vinum typus corporis & ſangvinis Chriſti (abſit) ſed ipſum corpus Domini deificatum, non typus ſangvinis, ſed ſanguis, &c.

§.

Liturgia Eccleſiæ Coptæ ſeu Ægyptiacæ.

TRiſagio ſolemniter decantato, Coptita Sacerdos his verbis orditur conſecrationem. Dominus Noſter JESU S Chriſtus, qui poſuit nobis myſterium magnum in ſignum, quod ille traderetur in mortem pro vita & redemptione mundi, accepit panem in ſanctas, incontaminatas, puras & illibatas manus ſuas, & aſpiciens in Cœlum ad te, Deus, qui Pater ejus es, & Dominus Omnipotens; gratias egit (hic reſpondet populus Amen.) & benedixit eum (populus dicit, Amen.) & ſanctificavit eum (populus dicit,

Digitized by Google

Amen) deditq; eum diſcipulis ſuis & Apoſtolis Sanctis, dicens: Accipite, & comedite de eo ipſo omnes vos:

Hoc enim eſt corpus meum. Quod pro vobis & pro multis frangetur, & dabitur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. *formula conſecrationis panis.*

Similiter autem & poſt cœnam, accepit calicem, & miſcuit illum cum vino & aqua, & adoravit (reſpondet populus Amen.) & guſtavit, & dedit etiam diſcipulis ſuis, & Apoſtolis Sanctis, & dixit: Accipite de eo omnes vos.

Hic enim eſt ſanguis meus novi teſtamenti. *formula conſecrationis calicis.*

Qui effundetur pro vobis, & pro multis dabitur in remiſſionem peccatorum in memoriam meam.

Atq; hæc eſt formula conſecrationis Coptitis ante mille & quadringentos circiter annos.

§.

Æthiopum Liturgia.

SAcerdos æthiops, triſagio dicto, ſe ſe accingens ad conſecrationem, dicit altâ voce: extendit manus ſuas ad infirmitatem, infirmatus eſt, ut infirmos ſanaret in te ſperantes, accepit panem in ſanctas & puras manus ſuas, inſpexit in cœlum ad te Patrem ſuum, gratias egit, benedixit, & ſanctificavit, & dedit diſcipulis ſuis dicens, Accipite, & comedite ex eo omnes:

Zach.obſata ſchgoia vuuatu laza baantiachama Latſat Lahh dugata hhathiat, Amen. *formula conſecrationis.*

Id eſt:

Hic panis caro mea eſt, quæ pro vobis tradetur in remiſſionem peccatorum. Amen.

Populus verò dicit:

Amen, Amen, Amen, naemen, vantaemmen neſebhbacha aagziana vaam lachna zantu Watu beamen, naemen ſchagoch

Id eſt:

Amen, Amen, Amen, credimus & confidimus, & laudamus te, o Domine Deus noſter: hoc eſt (in veritate credimus) caro tua.

Digitized by Google

Sacerdos dicit:

Vachamabu zu vaani aachuto buracha, vaka diſo, Waiabelomu naſchu ſatiu emnibu chulchamu zazu naa damaia Watu lazba anti achamet jatchainu labeza vbzubban Amen.

Id eſt:

Similiter calicem, gratias agens, benedixit, & ſanctificavit, & dixit eis: accipite, & bibite ex eo omnes. Hic eſt calix ſangvinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum. Amen.

Populus verò reſpondet

Amen, Amen, Amen, naemen, Wantaemmen neſebbach aagziana, Vaam lachna zantu naemen beeman dmacha.

Id eſt:

Amen, Amen, Amen, credimus & confidimus & laudamus te, ô Domine Deus noſter: hic (in veritate credimus) ſangvis tuus eſt.

Hæc Abyſſinorum formula conſecrationis.

Oblatio Copta ex Miſſali Copto Vatic. num. 11. 12. 13.

O Domine JESU Chriſte, divinæ eſſentiæ particeps, verbum immaculatum, coæqualis Patri, & Spiritui Sancto, Pater noſter, Dominus noſter, & Servator noſter, tu es panis ille, qui de cœlo deſcendit, qui veniſti, ut eſſes agnus immaculatus pro redemptione & vita mundi; rogamus, & deprecamur bonitatem tuam, ut ponas ſuper hoc ſanctum myſterium faciem tuam: ſuper hunc panem, & ſuper hunc calicem, qui ponimus ea ſuper hanc
NB. menſam ſacerdotes tui, Benedic, ſanctifica, munda, *& * transfer panem hunc in corpus tuum ſanctum, ſeu carnem tuam ſanctam, & vinum, quod eſt in hoc calice, in ſangvinem tuum pretioſum.*

§.

Oblatio Æthiopica.

ALak Jaſu Chroſtos zaita gabra bolikehu kal nezubb walda aba vemau phas

phas kedu enta. Vaatu bobſata chauat zawarada emſamajat vaakdamacba chawina chama bago nazubb zazalbo nauura baenta chawata alam. Waja azeni neſal wanbi iekoſch chiruta ſaniaticba emſakare ſabaa arij gazach laala zantu obſata wabaala zantu zunaa zaambarna laala zantu tabot manfas wizalacba barachmu wakaduſmu waan zuchmu wamitho lazantu bobſata cham jaebum ſagocb na zubb zata damra masla zantu zu waa dmacba chabur.

Id eſt:

O Princeps noſter JESU Chriſte, cujus ſubſtantia (id eſt perſona) creata non eſt: ſed eſt purum verbum: tu es filius Patris, tu es panis vitæ, deſcendens de cœlo, qui antequam venires, eras in figura agni immaculati pro redemptione mundi, nunc bonitatem tuam, ô amator hominum, humiliter imploramus: ut faciem tuam ſuper hunc panem, & calicem in hoc altari oſtendas. ✠ Benedic, ✠ Sanctifica, ✠ munda, *& * transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in ſangvinem tuum pretioſum, &c.*

Hanc liturgiam dedit Eccleſia Æthiopum D. Matthæus, eorum Apoſtolus.

NB.

Actus adorationis Sacerdotis Coptitæ.

CRedo, credo, credo & confiteor ex tota anima mea, quòd hoc ipſum, quod eſt in manu mea, illud eſt corpus vivum filij tui unigeniti Domini noſtri, Dei noſtri ac Salvatoris noſtri JESU Chriſti &c. ex rituali Vatic. fol. 36. num. 11. in prodrom. P. Athanas. Kircher. cap. 2. de moribus Coptis.

§.

Liturgia D. Petri, quâ primùm Romani uſi ſunt.

DOmine Deus noſter, qui te obtuliſti pro hujus mundi vita, reſpice in nos, & ſuper panem iſtum, & calicem hunc, fac eum immaculatum tuum corpus, & pretioſum ſangvinem, in perceptionem animarum & corporum, quam oblationem tu, Domine, in omnibus, quæſumus, benedictam, adſcriptam, acceptabilémq; facere digneris, ut nobis corpus & ſangvis fiat dilectiſſimi filij tui &c. Idem habetur in Canone Miſſæ, quo nunc utimur in tota latina Eccleſia, & in liturgia Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, authore

Digitized by Google

thore D. Jacobo fratre Domini. Item in liturgia Eccleſiæ Alexandrinæ, authore D. Marco Evangeliſta. Deniq; hæc omnia fundantur in hac veritate infallibili : * *Cœnantibus autem eis : accepit JESUS panem, & benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait : accipite, & comedite : hoc eſt corpus meum. & accipiens calicem, gratias egit; & dedit illis, dicens : bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſangvis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur, in remiſſionem peccatorum.*

Math. 26.

Hac veritate ſuppoſitâ; ſic diſcurrimus:

§.

APODIXIS.

SI in Evchariſtia maneret hæc ſubſtantia panis, vel gradus hic individualis illius, falſificarentur conſecrationis verba : hoc autem non : ergo. probatur major 1. quando aliqua ſubſtantia extranea ſub alienis deliteſcit accidentibus unà cum ſubſtantia hujuſcemodi accidentium propriâ, tunc accidentia ex ſe propriam, non alienam demonſtrant ſubſtantiam, niſi propria expellatur, ut ſi angelus eſſet in corpore humano, & diceres: hic eſt angelus, oſtendendo per pronomen *hic* totum illud aggregatum : ſimiliter ergo in noſtro caſu, hæc propoſitio erit falſa: hoc eſt corpus meum: ſi ly eſt ſignificat identitatem inter prædicatum & ſubjectum (ut revera ſignificat) & ibi remaneat proprium ſubjectum accidentium panis, ſcilicet prima ſubſtantia, ſeu gradus individualis ſubſtantiæ. Oportet igitur proprium accidentium ſubjectum totaliter excludi ab illo *hoc*, propoſitionis divinæ ſubjecto, ut hæc in ſua prima maneat veritate. Probatur 2. eadem minor : quando duæ ſubſtantiæ, quarum una non ſe habet ut continens reſpectu alterius, continentur ſub aliquo ſenſibili, tunc pronomen *hoc* habet vim termini collectivi demonſtrantis collectionem in confuſo, ibi contentam, quam proinde demonſtrat per modum unius, ut cernere licet in crumena plenâ & auro & argento. non enim tunc, monſtratâ crumenâ, verè diceremus, hoc eſt aurum, quia prædicaremus partem de toto, quæ eſt falſiſſima prædicatio. ſed dicendum eſſet: hoc eſt aurum & argentum: ergo pariter, ſi ſub accidentibus panis contineretur ſubſtan-

ſtantia, ſive totalis, ſive partialis, ſcilicet forma, ſive gradualis, ſcilicet prima, & ſubſtantia ſimul corporis Chriſti, (cùm neutra ex natura rei ſit reſpectu alterius continens) non verè diceretur: Hoc eſt enim corpus meum. tunc enim illa propoſitio redderet hunc ſenſum: totum contentum ſub his ſpeciebus eſt corpus meum, qui ſenſus eſſet omninò falſus, cùm etiam ibi eſſet ſubſtantia panis, vel totalis, ut hæreticus aſſeruit Lutherus, vel formalis, ut Pneumocosmici ignoranter ſupponunt, vel gradualis & prima, ut citati authores ſine fundamento excogitarunt, quæ non eſt corpus Chriſti.

§.

Ignorantia ignorantiæ Lutheranorum tergiverſatio.

SUfficit (reſpondent hæretici, infelices Martini Lutheri aſſeclæ) præſentia corporis Chriſti in pane, ut non falſificentur verba conſecrationis: hoc eſt corpus meum &c. ut patet in marſupio auro pleno, de quo eſt verum dicere: hoc eſt aurum, & de vaſe vino pleno: hoc eſt vinum.

Ignorantia Lutherana difflatur I.

INprimìs ſi præſentia unius cum alio ſufficit, ut unum de alio prædicetur, procul dubio dicere poterimus: hoc quantum, vel hoc album, deſignatâ quantitate evchariſticâ, vel albedine, eſt corpus Chriſti: atquì ſola ignorantia hoc poteſt admittere; ergo &c.

II.

SI præſentia intima unius cum alio ſufficeret, poterimus etiam dicere: anima eſt corpus, cùm illa huic intimè inexiſtat: ſed hoc non; ergo nec illud, ex quo ſequitur.

III.

QUòd etiam poſſimus dicere: Pater æternus eſt filius, quia huic intimè præſens eſt: ſed hoc eſt hæretica poſitio; ergo ignorantia lutherana hæretica eſt.

IV.

SI præſentia intima duorum ſuppoſitorum ſufficeret, ut unum de alio prædicetur, de qualibet creatura poterimus dicere: hæc, &

 illa,

Digitized by Google

illa, & illa creatura eſt DEUS, quia Deus intimè eſt in unaquaq; creatura: ſed hoc eſt error in philoſophia, & hæreſis rotunda: ignorantia ergo lutherana rotunda hæreſis eſt.

V.

NUlla creatura continet Deum circumſcriptivè, ſed potiùs Deus ipſe continet creaturam: ergo dato, quòd non poſſemus dicere, hæc creatura eſt Deus, poſſemus tamen dicere hic Deus eſt creatura, quia Deus per intimam præſentiam, & eſſentiam, & potentiam continet omnem creaturam: ſed hoc eundem præſefert errorem & hæreſim; ergo &c.

V I.

SI præſentia ſufficeret, eſſet convertibilis prædicta propoſitio: hoc eſt corpus meum: ac proinde poſſemus dicere, hoc corpus meum eſt hic panis: ſed in tota ſacra ſcriptura non invenitur talis converſionis formula: quippe non corpus Chriſti in panem ſimplicem, ſed ſimplex panis in verum corpus & carnem Chriſti convertitur ex vi verborum; ergo &c.

V I I.

SI præſentia & continentia ſimul unius in alio ſufficeret ad ſalvandam prædictæ propoſitionis veritatem, ſine dubio ſuffeciſſet, ut de immaculata Virgine MARIA, quamdiu JESUM geſtavit in ſacratiſſimo utero, prædicaretur filius: atquì interea temporis falſum fuiſſet dicere: Maria eſt Jesus filius: aut hoc (demonſtratâ Mariâ) eſt corpus meum, ut patet: ergo &c. eodem modo philoſophandum eſt, de ſacerdote, qui communicavit corpus, & ſangvinem Chriſti Domini, nec non de quocunq; alio continente accidentium evchariſticorum &c. quid plura? ad exemplum igitur extemplò accedentes, reſpondemus:

Exemplum ab ignorantia allatum non eſſe Catholicum, quamvis divinum appareat.

§.

IDcirco reſolutoriè ſancimus, modum illum loquendi, videlicet, hoc eſt aurum, & hoc eſt vinum, tunc tantùm locum habere, quando continens, vel ex uſu humano, vel ex natura rei eſt continens alterius. * duplici etenim modo poteſt dici aliquid conti-

Nota:

nere

nere alterum, nimirum, vel tanquam vas quoddam, uſu humano ad hoc deſtinatum, ſicut deſtinatur uter, ut vinum contineat; vel tanquam accidentia ſubſtantiam, quam & ſenſibilem exhibent, atq; demonſtrabilem. Quando ergo aliqua ſubſtantia continetur in vaſe, vel à natura, vel ab arte & uſu humano ad ipſam continendam deſtinato, tunc profectò poteſt demonſtrari per pronomen *hoc*, ut in adductis exemplis utcunq; liquet; aliàs non poteſt propriè loquendo: non enim de dolio aëre pleno rectè dixeris: hoc eſt aër, neq; de eodem, in quo utiq; eſt Deus: hoc eſt Deus. ſimiliter quando una ſubſtantia in alia continetur, aut etiam penetrat, tunc, ſi demonſtro contentum ſub accidentibus, non ſolet intelligi niſi illud, quod proximè ſub accidentibus continetur. Quamobrem, etſi Deus penetret arborem B. non tamen rectè dicitur: hæc arbor B. eſt Deus. Nec habens in manu panem, in quo pecunia latet, rectè dices: hoc eſt pecunia. Ex his igitur ſatis clarè apparet, demonſtrationem ocularem ita per accidentia fieri, ut tamen non patiantur abſolutè & uſitatè per ſe oſtendi, niſi quod proximè ab illis afficitur. adeóq; ſi panis eſt in Euchariſtia poſt conſecrationem, porrò pronomen *hoc* ſignificabit panem, quem ſenſibilia accidentia proximè afficiunt, ac per conſequens corpus Chriſti de pane prædicabitur, quod ſine falſitate minimè continget, ob abſolutam ſuppoſitorum diſtinctionem.

II. Argumentum à paritate.

Fictio eſt (inquit noſter Joannes Damaſcenus, cui ſubſcribunt D. Thomas 3. p. q. 4. a. 4. & omnes Theologi) aſſerere, quòd divinum Verbum aſſumpſerit naturam humanam, ab omnibus abſtractam individuis (hoc eſt naturam communem, & non poſitivè ſingularem, ſeu hanc) ergo fictio etiam eſt dicere, quòd ſubſtantia panis, ſpecificè ſumpta, convertatur in corpus Chriſti, & quòd ſub accidentibus remaneat individualis gradus, ab ea realiter præciſus. conſequentia tenet à paritate, & antecedens eſt notiſſimum divinis Theologis. ergo &c.

N. Joan. Damaſcen. lib. 3. orthod fidei cap. 11. ad initium.

§. *Qui-*

Digitized by Google

§.

Quidam refertur Cavillus ad hujus doctrinæ conſpicuum intellectum.

IN omnibus id, quod eſt nobiliſſimum, eſt Deo attribuendum: ſed in unoquoq; genere illud, quod eſt per ſe, potiſſimum eſt: ergo filius Dei debuit aſſumere hominem per ſe, qui quidem ſecundùm Platonicos, ut patet ex Ariſtotele 1. Metaph. t. 6. & 25. eſt ipſa natura humana ab individuis ſeparata: hanc igitur debuit filius Dei aſſumere.

§.

Satisfactio eſt Angelica.

D. Th. 3. p. q. 4. a. 4. NB.

AD ſecundum dicendum (reſpondet Doctor Angelicus) quòd per ſe homo non invenitur in rerum natura, ita quòd ſit præter ſingularia, *ut Platonici poſuerunt.* * *quamvis quidam dicant, quòd Plato non intellexerit, hominem ſeparatum eſſe niſi in intellectu divino.* & ſic non oportuit (imò nec potuit) aſſumi à Verbo. Quare? quia (reſpondet conſequenter D. Thomas) natura hominis in intellectu divino, nihil aliud eſt, quàm natura divina. ſimiliter non convenit dicere, quòd filius Dei aſſumpſit humanam naturam, prout eſt in intellectu humano, quia hoc nihil aliud eſſet, quàm quòd intelligeretur aſſumere naturã humanam. ac per conſequens, ſi non aſſumeret eam in rerum natura (id eſt, prout eſt hæc ſingularis natura B. per ſuammet entitatem realiter diſtincta à natura humana Beatæ Mariæ &c.) eſſet intellectus falſus. nec eſſet aliud iſta naturæ humanæ aſſumptio, quàm fictio quædam incarnationis, ut Damaſcenus lib. 3. orthodoxæ fidei. cap. 11. dicit. Hæc D. Thomas. Ex quibus inprimis infertur, quòd modus dicendi Henrici, Rhicardi, & Waldenſis formaliſſima fictio ſit: non ergo manet individualis gradus ſubſtantiæ panis ſub accidentibus evchariſticis: ergo &c. Secundò, quòd Plato non aſſeruerit, ideas (ut dictum eſt) exiſtere extra primam cauſam, & ab individuis ſeparatas, benè tamen, animam rationalem eſſe totam eſſentiã hominis, ut conſtat ex lib. 5. in Alcibiad. 2. ſive de natura hominis. & lib. 37. in Axiocho, ubi

ubi ſic: ἡμεῖς ἐσμὲν ψυχὴ ζῶον ἀθάνατον, ἐν θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ. Id eſt, nos ſumus anima immortalis, quæ incluſa eſt in mortali loco minuto. Ex quo philoſophandi modo orta eſt non levis æquivocatio inter Philoſophos & Theologos, quam nos hoc facilè ſyllogiſmo diſtingvimus: corpus humanum ſecundùm Platonem non eſt de eſſentia phyſica hominis, ſed ſola anima eſt homo adæquatè: atquì anima rationalis exiſtit, & ſubſiſtit in ſtatu ſeparationis extra Deum, & extra omne corpus, ut omnis Philoſophus Chriſtianus admittet: habemus ergo jam hominem, & abſtractum ab omnibus individuis corporeis, & ſimul exiſtentem extra primam cauſam, per hoc præciſè, quòd anima hominis ſeparetur à vinculo corporeo, in quo dicebatur Petrus, v. g. vel Joannes &c. Ecce doctrinam Platonis de idea ſeparata & extra Deum, quam multi, ſine intellectu ſpeculantes, nunquam potuerunt intueri. Platoni adſtipulantur Arnobius lib. 2. contra Gentes, & præcipui Hebræi, aſſerentes apud Pamphil. lib. 2. de præparat. Evangelica. cap. 2. animam eſſe totum hominem, corpus verò quaſi illius veſtimentum. His igitur obiter tactis, ad demonſtrationem properamus:

APODIXIS III.

SI ſub accidentibus euchariſticis remaneret individualis gradus ſubſtantiæ panis, neceſſariò deberet ſubſiſtere propriâ, vel alienâ ſubſiſtentiâ: ſed neutrâ ſubſiſtere poteſt; ergo. probatur minor quoad utramq; partem efficaciter: ſi propriâ ibi terminaretur ſubſiſtentiâ, ſequitur, quòd accidentia euchariſtica inhærent illi, tanquam ſubjecto *quod* connaturali: ſed hoc eſt contra Tridentinam ſanctionem, ut patet: non ergo manet. Si verò divini Verbi ſubſiſtentiâ terminatur, ſequitur, quòd filius Dei impanaretur in illo ſubſtantiæ gradu, quod eſt antiquorum error: nihil ergo ſubſtantiæ panis ſub accidentibus manet evchariſticis, ergo &c.

IV.

ILle gradus eſt definibilis metaphyſicè; aſt implicat metaphyſica definitio, quæ duo non importet prædicata, videlicet unum commune, & alterum differentiale: gradus igitur ille, ut definitus, duo etiam expreſſa prædicata dabit, aliud commune, & ſpeciale

Q aliud,

Digitized by Google

aliud. Major eſt nota, minor magìs nota, conſequentia infertur. Tum ſic: nulla diſtinctio realis datur inter definitum & definitionem objectivam, ut eſt in confeſſo apud omnes dialecticos, & Metaphyſicos (aliàs homo & animal rationale eſſent duæ ſubſtantiæ realiter diſtinctæ, & conſequenter, quâ diſtinctæ, eſſet verum dicere: animal rationale non eſt homo: & homo non eſt animal rationale. ſi ita eſt, ſervato tibi illum hominem, qui non eſt animal rationale pro ephebo, & eſto nobis animal rationale) nulla ergo diſtinctio realis erit inter gradum individualem panis, & definitionem eſſentialem ipſius: atquì definitio eſſentialis hujuſcemodi gradûs, dicit totam eſſentiam & naturam panis: ergo ſi ille manet, & tota manet ſubſtantia panis: ſed Catholicus hoc nullus admittet: ergo neq; illum gradum gratìs.

Confirmatio Analytica.

AD quæſtionem quid eſt Petrus? categoricè reſpondetur: eſt homo, eſt animal rationale: ergo pariter ad quæſtionem, quid eſt ille gradus individuus panis? reſpondebitur: eſt panis, vel ſubſtantia triticea. Deniq; ſi ſubſtantia non eſt, petemus per totam æternitatem, quid eſt? ſubſtantia non eſt: accidens non eſt: nihil ergo eſt, ergo &c.

V.

ILle gradus individuus eſt: ergo indiviſibilis eſt. ſi indiviſibilis eſt, ubi manet poſt diviſionem hoſtiæ in tres particulas, ut contingit in omni ſacrificio? nunquid ſub minima? at quare non ſub magna? eſt ſub magna? quare non ſub minima particula? quare non ſub tribus? ſi ſub omnibus manet: ergo gradus individuus eſt dividuus, quod ex terminis eſt falſum, & contradictorium. quis unquam verè dixit, quòd Petrus ſit diviſibilis in plures Petros, & quòd A. poſſit dividi in B. C. D. &c.? ſicut ergo repugnat Petrus, qui non ſit homo eſſentialiter, ita repugnat gradus individuus panis triticei, qui eſſentialiter non ſit ſubſtantia completa triticea: atquì ſubſtantia panis completa ſub accidentibus eucharisticis non manet; ergo neq; ille gradus individuus. ergo &c.

V I.

Digitized by Google

V I.

ILle gradus non eſt ſubſtantia compoſita ex materia & forma ſubſtantiali, aliàs tota ſubſtantia panis ſub accidentibus evchariſticis remaneret, quod eſt hæreſis Calviniſtica: neq; eſt ſola materia, quia hæc non eſt gradus, ſed eſſentialis pars hujus numero compoſiti phyſici, ſcilicet panis A.v.g. deinde materia eſſe non poteſt, quòd hæc tota convertitur in corpus Chriſti. unde contrarium aſſerere cum Durando, hæreſis eſt, ut ex dictis abundè conſtat. Neq; deniq; ille gradus forma eſt: inprimìs, quia gradus individualis & ſpecificus non unus, ſed duo gradus formaliter ſunt, ut adverſarij fatentur. Secundò, ſpecificus gradus totus convertitur in corpus Chriſti: non ergo individualis forma ſeu gradus ſpecificus eſt. Tertiò, non ſolùm gradus ſpecificus, ſed tota forma phyſica panis convertitur in corpus Chriſti: non ergo individualis gradus forma eſt. Nunquid gradus ille individualis eſt aliquid materiæ, & aliquid formæ ſimul? ſi aliquid habet materiæ, & aliquid unà formæ, ſequitur, quòd ſit ſubſtantia compoſita. ſi compoſita ſubſtantia eſt: gradus individualis non eſt, quippè in partes, ex quibus conſtat, dividuus eſt: ac proinde non unus, ſed duo gradus individui reſpectu ejuſdem ſubſtantiæ panis erunt. itàq; plures, quàm deſideravimus, gradus inveniemus: ergo &c.

V I I.

ALiquid materiæ vel eſt eſſentialiter materia prima, vel aliquis modus ſubſtantialis illius, qualis eſt ſubſiſtentia, unio &c. ſed gradus individualis non eſt eſſentialiter materia prima, aliàs verum eſſet dicere, quòd materia prima panis, maneat poſt conſecrationem ſub accidentibus evchariſticis, quod eſt hæreſis: non item eſt ſubſiſtentia, quia hæc gradûs individualis phyſicum complementum eſt. Non demùm unio: quia hæc non inter gradus, ſed compartes inter materialem & formalem conſiſtit, quibus ſeparatis, eadem nuſpiam ſubſiſtit; nihil ergo materiæ gradus ille eſt, ac per conſequens neq; aliquid formæ eſſentialiter erit: quia forma A.v.g. non eſt realiter diviſibilis ſecundùm prædicata formalia & eſſentialia in formam aliam A B C. D. &c. ergo de primo ad ultimum concluditur, ſub accidentibus evchariſticis nihil de eſſen-

tia ſeu natura phyſica panis remanere poſt conſecrationem, ſed præciſè accidentia. Quam quidem veritatem Almus Spiritus & ſanctiſſimis dictavit Apoſtolis, & Evangeliſtis; nec non SS. Patribus, in nomine JESU Chriſti in multis Concilijs congregatis, definiendam ſuggeſſit. ergo &c.

VIII.

SI gradus ille eſt aliquid extra phyſicam eſſentiam materiæ & formæ, ac proinde entitas realiter diſtincta ab utraq; totius ſubſtantialis comparte, ſequitur, quòd de illo non poſſit prædicari natura panis, ſeu gradus ſpecificus panis: aſt gradus ſpecificus prædicatur in quid de gradu individuali ſub ſe contento, ut pervium eſt tyronibus Dialecticis: ergo evidens eſt, quòd non datur à parte rei phyſica diſtinctio inter panem hunc A. & gradum ſpecificum, & genericum ipſius. Major, in qua poterat eſſe aliqualis difficultas, probatur: ſi de gradu illo, ut realiter diſtincto à gradu ſpecifico, poſſet verè prædicari ſubſtantia ſpecifica panis, etiam de ſubſiſtentia, quæ eſt modus ſubſtantialis panis, poſſet enuntiari non ſolùm gradus genericus, ſed etiam ſpecificus & individualis, ac proinde hæc eſſet veriſſima propoſitio: ſubſiſtentia panis eſt ſubſtantia triticea: eſt hic panis &c. atqui propter identitatis carentiam, ſeu realem diſtinctionem extremorum, eſt falſa hæc propoſitio: ſubſiſtentia panis eſt ſubſtantia triticea, eſt hic panis. ergo &c. Quamobrem concludit Ariſtoteles in Prædicam. de ſubſtantia: *ſubſtantiam gradus diſtinctos realiter non ſuſcipere, ut magìs ſit unquam id, quod eſt, atque minus, &c.*

IX.

SAnctorum Apoſtolorum Petri, Matthæi, Jacobi &c. oratio deprecativa quoad illa verba ✠ *Benedic*: ✠ *Sanctifica*: ✠ *munda; & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in ſangvinem tuum pretioſum &c.* adimpletur, prolatâ formâ conſecrationis à legitimo ſacerdote ſuper panem & vinum in altari: ergo impoſſibilis eſt remanentia gradûs individualis. probatur hæc conſequentia: Apoſtoli, divinitùs illuminati, rectè credebant, hunc panem A. v. g. & hoc vinum C. per verba conſecrationis converti in corpus & ſangvinem Chriſti Domini; propterea antequam ven-

ventum eſſet ad formam conſecrationis, JESUM Chriſtum, tanti Sacramenti authorem, ſanctè exorabant: atquì ſi remaneret gradus individualis panis, non ſolùm oratio Apoſtolica fruſtraretur, ſed etiam fides illorum falſo ſubeſſet, tunc enim *hic* panis, & *hoc* vinum non transferrentur, quia ſecundùm hæcceitatem realem utrumq; remaneret. cùm ergo impium & hæreticum ſit, aſſerere fidem ſupernaturalem, non tantùm Apoſtolorum, ſed cujuscúnq; Catholici falſam fuiſſe, aut eſſe poſſe circa veritates ſupernaturales, per infallibilem conſequentiam ſequitur, impoſſibilem eſſe omnino, ex ſuppoſitione fluentis providentiæ, remanentiam ſubſtantiæ panis & vini, nedum quoad gradum individualem, ſed etiam quoad ſpecificum & genericum: ergo &c.

§.
Confirmatur:

TOtum panem hunc, & totum vinum hoc converti quoad ſubſtantiam per conſecrationis verba, illi ſanctiſſimi crediderunt Apoſtoli, & omnis filius unius ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ſanctiſſimè credit: nihil ergo ſubſtantiæ hujus panis, nihil ſubſtantiæ hujus vini poſt conſecrationem ſub accidentibus remanet eucharisticis: ergo ſubſtantia panis & vini neq; quoad gradum genericum, neq; quoad ſpecificum, neq; quoad individualem manet: ergo nihil manet: ergo &c. Ecce argumentum, cujus ergò præmiſimus Apoſtolicas liturgias, & formulas conſecrationis, quibus utitur univerſa Eccleſia Dei Apoſtolica Romana, columna veritatis. Quam arietare ignorantiâ ſuâ ſtudent quidam Pneumocoſmici, aſſerentes, & credentes, formam ſubſtantialem panis & vini remanere poſt conſecrationem, prout utraq; eſt & corpori & ſangvini Chriſti, & ſimul compoſitis panis & vini communis. Quid ergo de tantis dicemus Doctoribus? Domine ignoſce illis, quia neſciunt, quid dicunt.

§. 41.
Inſinuatus error Pneumocoſmicorum revelatur, & novum emergit Sacramentum.

JOannes Pariſienſis, ut refert Waldenſis lib. 2. de Sacram. cap. 65. num. 1. aſſeruit in Eucharistia manere, non quidem ſuppoſitum, ſed naturam panis, unitam hypoſtaticè Verbo Dei, mediante corpore humanitatis: quod eſt hæreſis. Sed idem, velint, nolint, ſequitur ex ſecta Pneumocoſmicorum: ergo &c. Antequam minorem probemus propoſitionem, tenemur Lectori oſtendere aſſertum Joannis Pariſienſis eſſe hæreſim manifeſtam; quod, ſine ullâ morâ, his jam demonſtramus fundamentis.

I.

LIcet nullibi definitum reperiatur, ſubſtantiam panis & vini non uniri hypoſtaticè Verbo divino in Euchariſtia: definitum tamen eſt, ſubſtantiam panis & vini non manere poſt conſecrationem ſub accidentibus evchariſticis: atquì ſi maneret ſubſtantia panis & vini hypoſtaticè unita Verbo divino, talis definitio eſſet falſa, ut patet: ergo &c. unde D. Algerus lib. 1. de Sacram. cap. 6. qui habetur tom. 6. Biblioth. veterum Patrum, oppoſitam doctrinam vocat expreſsè hæreſim.

ROBORATIO.

DE fide eſt, quòd in hoc Sacramento ſubſtantia panis convertatur, & transſubſtantietur in corpus Chriſti: ergo de fide eſt, quòd non maneat etiam unita hypoſtaticè Verbo Dei. conſequentia ex dictis probata manet, ubi diximus, quòd repugnet manere, & in aliud converti.

Confirmatur:

QUod hypoſtaticè unitur Verbo divino, manet in propria natura, ut patet in natura humana ad eſſe filij DEI aſſumpta: unde verificatur: *perfectus Deus, & perfectus homo.* ſi ergo panis natura unita manet hypoſtaticè, JESUS Chriſtus eſt perfectus panis uſualis, ac per conſequens ſicut eſt hæreſis dicere, quòd natura humana Chriſti per aſſumptionem converſa eſt in Deum, ita etiam erit falſum aſſerere, quòd ſubſtantia panis, divinâ Verbi ſubſiſtentiâ terminata, ſit in aliam converſa ſubſtantiam; atquì de fide eſt, quòd convertatur in corpus Chriſti: ergo &c. Ad minoris ergo probationem deſcendamus:

II.

II.

Oſtenditur eundem eſſe in re, ſed in modo graviorem, Pneumocoſmicorum errorem, & Joannis Pariſienſis.

SUbſtantialis forma corporis Chriſti, per quam conſtituitur in eſſe corporis completi in prædicamento ſubſtantiæ, ſubſiſtit divinà Verbi ſubſiſtentià, ut ijdem ſectarij cum catholicis catholicè admittent: atquì eadem corporeitatis forma, quæ in Chriſto ſubſiſtit divinitùs, ſubſtantialiter, eſſentialiter, atq; identicè, nec. dum ſecundùm gradum genericum ſubſtantiæ, abſtrahentis à corpore & ſpiritu, ſed etiam ſecundùm gradum ſpecificum & individualem ſimul, eſt forma ſubſtantialis hujus panis A. v. g. conſecrati, ut ipſimet ſectarij, propter ſimplicitatem, indiviſibilitatémq; ſingulariſſimæ unitatis ſpiritûs mundi, ingenuè fatentur; forma igitur ſubſtantialis hujus panis evchariſtici nedum proprià, ſed divinà Verbi ſubſiſtit ſubſiſtentià; ergo ex hoc capite divinum Verbum impanatur ac proinde panis ſubſtantia manet hypoſtaticè unita, ut poſuit Joannes Pariſienſis; atquì oſtenſum eſt, poſitionem Joannis Pariſienſis eſſe dogma hæreticum: ergo &c. prima conſequentia ex præmiſſis, & ex dictis ſupra patet; cujus efficacia ſic poteſt manifeſtari: ſi forma ſubſtantialis panis, in hac hypotheſi Pneumocoſmicorum, non maneret unita realiter Verbo Dei, eò vel maximè, quòd entitas realis realiter diſtincta foret à corporeitatis forma, corporis Chriſti conſtitutiva, & propriam ſubinde retineret ſubſiſtentiam: aſt primum caput non obſtat, ſupponimus námq; cum ſectarijs, ſine ulla controverſia, quòd eadem entitas formæ ſubſtantialis panis, eſt eadem numero ſubſtantivo entitas formæ ſubſtantialis corporeitatis, quæ in Chriſto divinitùs ſubſiſtit: igitur, ad minimum ex hoc capite formalis unitatis, identitatisq; realis, forma evchariſtici panis ſubſiſtit divinitùs, ac proinde Verbum divinum intelligitur impanatum, quod eſt dogma hæreticum. Non etiam ſecundum obeſt caput: ergo nihil obſtat. probatur antecedens: ſecundùm Pneumocoſmicos Spiritus Macrocoſmi proprià ſubſiſtit ſubſiſtentià, & tamen, proprià non obſtante ſubſiſtentià, idem numero ſpiritus realiter ſubſiſtit in Chriſto ſub munere formæ vegetativæ & ſenſitivæ divini Verbi ſubſiſtentià: ergo ſecundum caput nihil obeſt:

obeſt: ergo &c. Si dicas, mundum poſt divini Verbi incarnationem ſpoliatum fuiſſe propriâ ſubſiſtentiâ, ſequitur, poſt incarnationem totum mundum eſſe Chriſtum, & eſſe Deum, quod deliriorum eſt delirium (de quo infra plura) error errorum, ſacramentum ſacramentorum, & hæreſis univerſalis hæreſum. His benè perſpectis, Lector jam petit à nobis, ubi abſcondendi ſint Pneumocoſmici, ne feriantur anathemate? reſpondemus: in Sarcophago Macrocoſmi, qui jam pridem defunctus eſt.

§.

Cavillus in favorem Joannis Pariſienſis.

PIcus Mirandulanus quæſt 6. ſuæ apologiæ aſſerit, hunc modum dicendi non eſſe contra doctrinam SS. Patrum. Nam S. Cyprianus ſermone de cœna Domini. Remigius in prima epiſtol. ad Corinth. cap. 10. & Noſter Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14. ad explicandum myſterium Eucharistiæ utuntur exemplo incarnationis: ut patet ex teſtimonio S. Proſperi in lib. ſententiar. S. Aug. dicentis: *ſacrificium Miſſæ duobus conſtare, ſicut perſona Chriſti duobus conſtat, nempe Deo & homine.* Idem ſenſit Rupertus Tuitienſis lib. 8. in Joann. & lib. 2. de divinis officijs cap. 2. & 9. non ergo eſt damnandus Joannes Pariſienſis tanquam hæreticus.

§.

Satisfactio D. Algeri loco ſupra citato.

REſpondet igitur D. Algerus, SS. Patres, quùm utuntur exemplo incarnationis, ad explicandum myſterium Euchariſtiæ, non id facere, ut ponant omnimodam ſimilitudinem in unitate ſuppoſiti, ſed præcisè, ut explicent dualitatem naturarum, ita ut, ſicut Chriſtus duabus conſtat ex vi incarnationis, ſcilicet naturâ humanâ & divinâ, ſimiliter in Euchariſtia reperiuntur alia duo, ſcilicet natura corporis Chriſti, & natura accidentium panis.

OB-

OBIECTIO.

ABbas Tuitienſis contrarium ſatisfactioni docet locis citatis, his verbis: *cujus effectus non eſt deſtruere, vel corrumpere ſubſtantiam quamcunque in ſuos uſus aſſumit, ſed ſubſtantiæ bono permanente, quod erat, inviſibiliter adjicere, quod non erat. ſicut naturam humanam non deſtruxit, cùm illam operatione ſuâ ex utero Virginis DEUS Verbo in unitatem perſonæ conjunxit, ſic ſubſtantiam panis & vini ſecundùm exteriorem ſpeciem, quinque ſenſibus ſubjectam, non mutat, aut deſtruit, cum eidem Verbo in unitatem corporis ejusdem quod in cruce pependit, & ſanguinis ejusdem, quem de latere ſuo fudit, iſta conjunxit. Item: quomodo Verbum, à ſummo cælo demiſſum, caro factum eſt, non mutatum in carnem, ſed aſſumendo carnem, ſic panis & vinum, utrumque ab imo ſublevatum, fit corpus Chriſti & ſanguis, non mutatum in carnis ſaporem, ſive in ſanguinis horrorem, ſed aſſumendo utriusque divinæ ſcilicet & humanæ, quæ in Chriſto eſt immortalis, ſubſtantiæ veritatem*; Nulla ergo eſt ſatisfactio præſtita. Conſequentia probatur: nam Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 11. reprehendit Sotum, quòd Rupertum excuſare voluerit ab hoc errore de impanatione: cui conſentit Gravina tom. 3. part. 1. controvers. 1. de Patrum ſenſu & authoritate q. 1. a. 6. ad. 12. dicens, manifeſtè erraſſe Rupertum, ſed, ſi admonitus fuiſſet de tali errore, utiq; diſceſſiſſet, hoc enim de viro tam egregio & ſanctiſſimo fas eſt credere. hæc Gravina.

§.

S. Rupertus ab injuria vindicatur.

IN ſimilem errorem non incidiſſe N. S. Rupertum Abbatem defendunt Venerabilis P. Franciſcus Suarez Theologorum oraculum diſp. 44. ſect. 2. circa finem. Eximius Doctor Jacobus Granado controvers. 7. de Eucharistia, tract. 3. diſp. 2. num 3. Reverendiſſimus P. Joannes Martinez de Prado primarius Complutenſis Cathedrarius diſp. 75. de converſione panis. dub. 2. Albertus Grantius lib. 6. cap. 4. Noſter Trithemius lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. & præſertim in oratione ad Congregationem Burſfeldenſem. Noſter M. Antonius Yepes centur. 6. fol. 222. M. Soto in 4. ſentent. diſt. 11.

 & Six-

Digitized by Google

& Sixtus Senenſis in ſua Bibliothec. poſſent quoq; allegatis accenſeri Authoribus 1. Hortuguinus, qui de Ruperto ſic olim cecinit:

Cedite Philoſophi, quos Græcia jactat, habétq;
Jactitat & ſi quos Itala terra ſuos.
Hos longè exuperat Rupertus gloria Vatum,
Gloria Doctorum, Teutonicíq; ſoli.
Par decus ingenij nulli ſperare licebit:
Nam novit, quidquid Theologia docet.

2. P. Gregorius de Valentia fundatiſſimus theologus è Soc. JESU, in lib. de transſubſtantiatione, ubi docet, Rupertum fuiſſe locutum juxta antiquorum Philoſophorum opinionem aſſerentiū, panem & vinum, & hujuſmodi alias res, non conſtitui, & diſtingvi per formas ſubſtantiales (ut Domini Pneumocoſmici, contra quos diſputamus, & in quorum gratiam hæc omnia dixerimus, ſentiunt) ſed ſolùm per accidentia, quibus ſubſtat unum & idem ſubjectum, ſive illud appelletur materia prima, ſive ſimplex quædam ſubſtantia completa. Ideoq; aſſeruiſſe non mutari in conſecratione naturam & eſſentiam panis, quia non mutantur accidentia, quibus formaliter conſtituitur in eſſe panis, hæc eximius Doctor. Quibus perceptis, dicimus:

§.

Nobis Valentia placet: hæc autem vindicatio minimè placet.

QUare? inprimìs, quia Rupertus nunquam negavit formas ſubſtantiales, aut veram earum transmutationem, utì Pneumocoſmici negant, ut ex operibus illius conſpicuè liquet. 2. quia Rupertus Ariſtotelicâ fuit imbutus philoſophiâ, ut colligitur haud obſcurè ex lib. de operibus Spiritûs ſancti cap. 13. ubi ſic: *hoc primum aſſerere licet: quia genus & differentia, ſpecies, proprium, atq; accidens, quæ ſapientes ſæculi pro magnis, atq; arduis habent, quaſi prima divinæ ſcripturæ incipientis elementa ſunt. Genera iſta & ſpecies ſine dubio ſunt, de quibus apud Philoſophos ſermo eſt. Dicamus ergo, quòd in ipſa ſacra ſcriptura litera, & ſimplices, ſit, quod demulceat, & ſapientes aut Philoſophos, quod exerceat. Arbitramur utiq; non minus*

ad

ad hanc ſcripturam, quàm ad eam, quæ eſt apud Ariſtotelem prædicamentorum doctrinam, eſſe neceſſarium ſcire, quid ſit genus, quid ſpecies, quid differentia, & quid proprium, & quid accidens; hæc Rupertus. Atquì Peripatetici omnes ponunt, ſpecies ſubſtantiales ita differre eſſentialiter, ut de potentia abſolutâ una non poſſit eſſe pereſſentiam alia: non ergo Rupertus potuit ignorare formarum ſubſtantialium diſtinctionem realem, ac proinde viâ generationis multiplicationem: ergo &c. Deniq; Pneumocoſmica ſecta de ſpiritu mundi eſt intolerabilis in Philoſophia, & pugnat cum multis principijs fidei, ut hactenus oſtenſum eſt: ergo &c. Concludimus igitur, quòd Valentia volens liberare Rupertum à charybdi erroris theologici, in Scyllanas illum pepulit ignorantiæ philoſophicæ voragines, quod quidem pietatis, herculeæ tamen virtutis argumentum non fuit.

§.

DEniq; ſubtilis Doctor P. Gabriel Vaſquez aſſerit, Rupertum non fuiſſe Authorem duodecim librorum de divinis officijs, ſed quendam Waleramum; hoc autem probat conjecturâ ductus, ex eo, quòd parens Noſter S. Anſelmus in lib. de corpore & ſangvine Chriſti ad Waleramum, hunc eundem errorem in illo notavit. unde probabiliter deducit Vaſquez: Rupertus ergo liber eſt omnino ab errore de impanatione. Ingenuè fatemur, hunc libertatis modum cuiq; eſſe pervium, atq; adeò difficilis impugnationis. Verùm enim verò in nuda negatione, Rupertum denudante à proprijs florentiſſimæ eruditionis ſuæ operibus, divinitus abſolutis, fundatur, ideò ut injuſtus juſtiſſimè reprobatur. *Vaſq. in 3. p. D. Th. de Euchar. cap. 1. num. 7.*

Conjectura Vasqueziana falſa eſſe deprehenditur.

UNica, potiſſimáq; ratio, conjectationis diſſlativa, petenda eſt ex epiſtola nuncupatoria, quam Doctor Marianus præfixit duodecim libris de divinis officijs, Cunnoni Epiſcopo Ratiſponenſi dedicatis, in qua, facta recenſione fermè omnium operum ſuorum, fatetur, ſe eſſe authorem duodecim librorum de divinis officijs: atquì alia opera, quæ in prædicta epiſtola recenſentur, ſine ulla controverſia ſunt Ruperti: ergo & duodecim libri. A nobis

biſ ſunt Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Evchariſtia cap 11. Noſter Reverendiſſimus Trithemius, Yepes loco citato, & alij ſupra allegati. Cum hoc tamen optimè compatitur, Waleramum, vel alium Doctorem compoſuiſſe ſimilem librum de divinis officijs, in quo S. Anſelmus errorem de impanatione rectè adnotavit. Sed quid inde? nunquid ideò Rupertus non eſt Author duodecim librorum de divinis officijs? minimè.

§. 42.

Oſtenditur, S. Rupertum converſionem rigoroſam ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſangvinem JESU Chriſti Domini Noſtri docuiſſe.

I.

SAnctus Rupertus lib. 6. in Joann. ad illa verba: *Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* hæc ſcripſit: *permanet ſenſus verbi conſonans, ſcilicet, quòd panis in veram ſubſtantiam corporis ejus divinâ virtute convertatur.* atquì, quod convertitur in aliud, non remanet in propria natura: panis ergo ſubſtantia, factâ conſecratione, ſecundùm Rupertum non manet in propria natura, neq; hypoſtaticè unitur Verbo divino, aliàs non converteretur in corpus; ergo &c.

I I.

CRede (inquit ibidem Doctor Marianus) *quia panis iſte ſenſibilis & vinum (quamvis nihil de exteriori ſpecie mutatum ſit) in aliud tranſierunt. & in illum cibum, potúmq; cæleſtem converſa ſunt, qui Angelorum victus eſt.* ſed, quod in aliud tranſit per converſionem, non manet in propria ſpecie naturali ſeu natura: ergo idem, quod prius.

I I I

IDem eodem lib. 6. in Joann. cap. 7. ad illud: *Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* ſic ediſſerit: *Hæc verba in pane, de quo dicturus ſum: hoc eſt corpus meum: & in vino, de quo dicturus ſum: hic eſt ſangvis meus: inviſibiliter operantur, ut vera caro mea ſit, & verus ſangvis meus, non mutatâ ſpecie exteriori.* Quid clarius? quid tutius dici poteſt? ſentit ergo Rupertus, ſolam ſpeciem exteriorem pa-

Digitized by Google

panis, ſeu accidentalem non mutari, ſubſtantialem verò, ſeu eſſentiam ſubſtantialem panis realiter converti, quod omnis Catholicus ſanctiſſimè & veriſſimè credit.

IV.

IDem lib. 2. in Exod. cap. 2. hæc habet verba: *tandem quartâdecimâ die ad veſperam, ubi illum paſcha veteris agnum comedit cum diſcipulis ſuis, tunc ipſe novi ſacrificij agnus continuò capiendus, & ducendus ad immolandum, jam in vigilia paſſionis agonizans, priùs proprijs manibus Deo Patri ſemetipſum immolavit; accipiens enim panem & vinum, mirâ ineffabiliq; potentiâ transfert in corporis & ſangvinis ſui ſacramentum.* ergo &c.

V.

IDem cap. 10. ejusdem libri ſic habet: *quia de Spiritu ſancto, qui æternus eſt ignis, Virgo illum concepit, & ipſe per eundem Spiritum ſanctum, ut Apoſtolus ait, obtulit ſemetipſum hoſtiam vivam DEO viventi, eodem igne aſſatur in altari: operatione namq; Spiritûs ſancti panis corpus, vinum fit ſangvis Chriſti.* ergo &c.

VI.

IDem lib. de operibus Spiritûs Sancti, pertractans ex profeſſo hoc ſacro ſanctum myſterium, ita divina eructat myſteria: *Cœnantibus itaq;, id eſt, ſendentibus adhuc in cœna, quâ manducaverant carnes agni, carnes paſcha veteris, accepit panem, & benedixit. panem communem accepit, ſed benedicendo longè in aliud, quàm fuerat, transmutavit, ut veraciter diceret ſic: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. item, vini ſubſtantiam accepit, ſed itidem gratias agendo, vel benedicendo, ſic in aliud vertit, ut diceret veritas, quæ non mentitur, hic eſt ſangvis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Quid eſt longè in aliud, quàm fuerat, tranſmutavit, niſi transſubſtantiatio? quid *ſic in aliud vertit*, niſi converſio ſubſtantiæ vini in proprium ſangvinem? nunquid vinum eſt effuſum pro multis in remiſſionem peccatorum? abſit. Sed veritas, quæ non mentitur, dicit; *hic eſt ſangvis meus.* ergo &c.

VII.

IDem in lib. 2. de divinis officijs cap. 2. de hoc ſacro-ſancto ſacramento locuturus, hæc præmiſit: *hîc magis atq; magis aperiendum fidei oſtium, & animæ triclinia aperienda ſunt, ut ingrediatur verita-*

tù ſpiritus, quo panis & vinum in verum corpus & ſanguinem Chriſti transferuntur. quid translatio panis in corpus Chriſti cum impanatione Doctori Mariano imputata?

CAVILLUS.

SI Rupertus admiſiſſet veram converſionē panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem, aliquando uſus fuiſſet nomine transſubſtantiationis in almo Eucharistiæ ſacramento: ſed non eſt uſus, ut videre licet in omnibus ejus operibus: ſenſit ergo non verè converti ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Chriſti.

SATISFACTIO CATEGORICA.

REſpondemus, quòd nomen *transſubſtantiatio* non viguit in Eccleſia uſq; ad concilium Lateranenſe, celebratum anno Chriſti 1215. ut habetur cap. 1. de ſumma Trinit. ante quod tempus Rupertus Eccleſiam Dei ſuis illuſtravit operibus. Dein in Conſtantienſi anno Chriſti 1415. celebrato, ſeſſ. 13. Tertiò, in Florentino anno Chriſti 1439. ſeſſ. 25. Deniq; in Tridentino ſeſſ. 13. cap. 4. hæc vox venit in communem uſum fidelium, appellantium converſionem panis in corpus Chriſti, proprijſſimè transſubſtantiationem. Ex quibus ſic iterum pro Ruperto poſſumus argumentari: ſancti Patres tam * Græci, quàm Latini, qui præceſſerunt tempus concilij Lateranenſis nunquam uſi fuerunt nomine transſubſtantiationis, ſed vel nomine converſionis, vel translationis, vel mutationis, vel transformationis, quibus modis uſus eſt Rupertus: ſi ergo illi non damnantur, nec damnari ſapienter poſſunt, ſimiliter nec noſter debet Rupertus damnari, & improbari.

Deniq; eodem ferè tenore verborum loquitur Theodoretus ac Rupertus: ſed omnes Scholaſtici interpretantur Theodoretum: ergo & Rupertum debent interpretari. probatur aſſumptum: nam Theodoretus dialog. 1. non longè à principio ſic ait: *ſymbola & ſigna, quæ videntur, nomine corporis & ſanguinis honoravit, non naturam mutans, ſed naturæ gratiam adijciens.* Si ergo Theodoretus interpretationem admittit, quare non Rupertus, cùm aliàs de ejus mente catholica conſtet ex allegatis teſtimonijs? nunc ergo.

Intel-

* *S. Clemens anno Chriſti 80. l. 8. conſt. c. 14. S. Dionyſ. an. 100. c. 2. & 3. Hier. D. Ignat. in epiſt. ad Rom. Origen. lib. 8. contr. Celſ. con. Niz. 1. l. de divin. menſ. Magnes ad Theoſtenē lib. 3. Cyrill. Hier. Catech. 4. Myſtag. D. Joann. Chryſ. homil. 83. in cap. 26. Mat. Eutych. Patr. Conſt. lib. 3. Maxim. monach. in expoſit Liturg. Damaſcen. lib. 4. c. 4 D Auguſt. diſt. 2 de conſ. Ambroſ. l. 4. de ſacrament. Hieron. c 5. ad Galat. Noſter Iſidor. l. 1. officior. c. 18 Gregor. Magn. homil. paſchal. Bern. de cœna Dom. Concil 2. Nicæn. Act. 6. Theoph. c. 26. in Math. Euthem. ibid. Alexand. Pap epiſt. 1. c. 4. & complur. alij.*

Intellectus legitimus ad teſtimonium D. Ruperti, ab adverſariis allatum, intelligendus proponitur.

§.

Cujus effectus non eſt deſtruere, vel corrumpere ſubſtantiam quamcunque &c. hæc exponenda ſunt juxta mentem D. Auguſt. lib 83. quæſt q. 21. in medio tom. 4. dicentis: *DEUS non eſt cauſa tendendi in non eſſe*: ſed hoc ſacramentum (ſubſumit D. Thomas 3. p. q. 75. a. 3. arg. ſed contra) *divinâ virtute perficitur: ergo in hoc ſacramento non annihilatur ſubſtantia panis & vini.* in hoc enim ſenſu intellecta illa verba Ruperti, *cujus effectus non eſt deſtruere, vel corrumpere &c.* veriſſima ſunt. Verùm ut magìs ac magìs eadem appareat veritas, ſit.

CAVILLUS I.

Oportet, alterum contradictorium eſſe verum: ſed hæc eſt falſa, factâ conſecratione, ſubſtantia panis, vel vini eſt aliquid: ergo hæc eſt vera: ſubſtantia panis & vini eſt nihil.

SATISFACTIO ANGELICA.

Licet poſt conſecrationem (reſpondet Doctor Angelicus) *hæc ſit falſa: ſubſtantia panis eſt aliquid, id tamen, in quòd ſubſtantia panis eſt converſa, eſt aliquid, & ideò ſubſtantia panis non eſt annihilata.* Nota benè illam cauſalem, *ideò ſubſtantia panis &c.* & tunc intelliges Ruperti profundiſſimum ſenſum: *cujus effectus non eſt deſtruere &c.* ad hæc.

Cajetan. in præſenti literam D. Thom. quæ ſuper ſolem ſplendet, ſuâ obnubilavit expoſitione.

CAVILLUS II.

Quia conſuetudo eſt hominibus (docet S. Joannes Damaſcenus lib. 4. orthod. fidei cap. 14.) *comedere panem, & vinum bibere, conjugavit eis Deus Divinitatem, & fecit ea corpus & ſangvinem ſuum: & ità panis communicationis, non panis ſimplex eſt, ſed unitus divinitati.* ſed conjugatio eſt rerum actu exiſtentium: ergo panis & vinum ſimul ſunt in hoc Sacramento cum corpore & ſangvine Chriſti.

EX-

Digitized by Google

EXPOSITIVA SATISFACTIO.

SI ab omniſcijs Grammaticis, die noctúq; Ciceronis epiſtolas terentibus, expoſitio verborum Damaſceni petatur, ſine dubio reſpondebunt, S. Joannem Damaſc. impanationem divini Verbi admiſiſſe, & conſequenter dicent: *patet*, quia litera ita ſonat. Quibus nos divinum obijcimus oraculum: *litera occidit: ſpiritus autem vivificat.* Qualis ſpiritus? intelligentiæ. de quo Sap. 7. *Spiritus intelligentiæ ſanctus, multiplex, unicus, ſubtilis, diſertus, perſpicuus, incoinquinatus, certus &c.* Quamobrem D. Thomas (quem Deus Eccleſiæ ſuæ dedit diſcretiſſimum Doctorem, interpretem ſubtiliſſimum) ſic Damaſceni ediſſerit verba: *DEUS conjugavit divinitatem ſuam, id eſt, divinam virtutem, pani & vino: non ut remaneant in hoc ſacramento, ſed ut faciat inde corpus & ſangvinem ſuum.* hæc divinus Thomas 3. p. q. 75. a. 2. ſolut. ad 1. Cujus veſtigia nos prementes, diſtingvimus in pane & ſubſtantiam, & ſpeciem ſenſibilem panis; illam converſam eſſe in corpus Chriſti docuit Rupertus, ut ex dictis conſtat: hanc verò quodammodo unitam eſſe corpori Chriſti Doctor non diffitetur. quare loco citato Exodi manifeſtè tradit noſtram diſtinctionem, & ſimul intellectum ſuum oſtendit, dicens: *panis ſecundùm exteriorem ſpeciem, quæ ſenſibus ſubijcitur, non mutatur.* ergo ſecundùm interiorem, quæ ſenſibus non ſubijcitur, ſpeciem mutatur. quod paulò inferiùs explanans, ait; *panem non eſſe mutatum in carnis ſaporem, nec in ſangvinis horrorem*: atquì ſapor carnis non eſt ſubſtantia panis, aut carnis, nec horror ſangvinis eſt ſubſtantia ſangvinis, nec vini, ſed utrumq; accidens eſt de prædicamento qualitatis: ergo &c.

§.

QUamobrem licet Rupertus, factâ conſecratione, venerabile ſacramentum vocârit panem & vinum, non propterea exiſtimavit, peractâ conſecratione, manere ibi ſubſtantiam panis & vini, quod ſemper negavit; ſed ſic ea placuit nominare. 1. quia moris eſt in ſacra ſcriptura (ſecundùm quem loquebatur S. Rupertus) ut res nomen retineant principiorum, ex quibus factæ ſunt, ut patet Genes. 2. ubi de Eva dixit Adam: *hoc nunc os ex oſſibus meis, & ca-*

& caro de carne mea. Quare? quia ex ejus coſta fuerat illa formata. Secundo Exod. 7. Virga Moyſis devoravit virgas Magorum. Aſt, quomodo virga poteſt devorare virgas? quia ſerpens, ex virga factus, adhuc retinebat nomen virgæ, non verò naturam. Tertiò, de uxore Loth, verſâ in ſtatuam ſalis, dicere poſſumus: hæc eſt uxor Loth. & Joan. 2. *cùm vidiſſet Architriclinus aquam vinum factam.* & Matth. 11. *cæci vident, claudi ambulant.* ubi, qui cœci, & claudi fuerant, cœci vocantur atq; claudi. Igitur cùm hæc ſit vera propoſitio: ex pane fit corpus Chriſti, & ex vino ſangvis, ut docet S. Ambroſius lib. 4. cap. 4. circa princip. tom. 4. & D. Thomas 3. p. q. 75. a. 8. & omnes Scholaſtici Doctores ibidem: cum fundamento in re corpus & ſangvis Chriſti in Eucharistia panis & vinum à Ruperto nominatur. Idem docuit Magnus noſter Gregorius in homil. paſchali, quæ refertur de conſecratione diſt. 1. cap. ſpecies. dicens: *ſpecies ſacramentales ſunt illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, ſcilicet panis & vini.* Idemque D. Thomas 3. p. q. 77. art. 1. in arg. ſed contra. ergo &c.

Concludimus igitur cum noſtro Archi Epiſcopo Cantuarienſi Lanfranco, Magiſtro S. P. noſtri Anſelmi, lib. de Euchariſtiæ Sacramento colum. 4. corpus Chriſti vocari panem, vel quia ex pane conficitur, vel quia intuentium oculis, cùm caro ſit, panis videtur. Sive quòd corporali & viſibili panis ſimilitudine quadam conjungitur. Nam ſicut iſte panis materialis, diſcretè ſumptus, humanam carnem nutrit, & ſuſtentat, ſic ſpirituale & inviſibile corpus Chriſti animam dignè ſumentis alit, atque vegetat. Non ergo Rupertus Author eſt impanationis, ut Bellarminus & Gravina putarunt, ſed Joannes Pariſienſis, cui (ut ex dictis minoriſque probatione patet) ſubſcribunt omnes Pneumocoſmici: ergo &c.

Corollarium.

EX ſecta Pneumocoſmicorum infertur Primò, Chriſtum non aliter eſſe ſub accidentibus euchariſticis quoad formam corporeitatis, quàm ſub alio pane, vel alia quacunque re. patet, quia forma panis ſecundùm Pneumocoſmicos eſt ſpiritus mundi, ſed is invenitur in quovis pane & in toto mundo, & in ipſo Chri-

ſto: ergo &c. ecce errorem Almarici, & ſimul ſequelæ ſuperioris probationem.

I I.

CHriſtum ante conſecrationem eſſe ſub accidentibus eucharisticis: patet, quia forma corporeitatis Chriſti eſt per eſſentiam ſuam ſpiritus mundi, qui ante conſecrationem corporificat materiam primam panis. ergo &c.

I I I.

CHriſtum eſſe ubique, in quantum ſubſtantia corporea eſt, & vegetativa, & ſenſitiva, & conſequenter poſt conſecrationem etiam ut homo, ſeu ſecundùm animam rationalem, quod eſt error ubiquitariorum. ad hujus ſequelæ oſtenſionem.

§. 43.

Præmittitur Ubiquitariorum error & origo.

JOannes Brentius (haudquaquam ex Confeſſioniſtarum numero minimus) docuit, Chriſti humanitatem, ab ipſa incarnatione, ſemper fuiſſe ubique. Ab hoc enim dogmate vocantur ubiquiſtæ, ſive ubiquezij, aut ubiquitarij. Quorum quidem ineptiſſimum errorem Wittenbergenſes, & Lipſienſes, ut articulum fidei amplectuntur; ut in libro, ab ipſis edito anno 1580. in forma quarti (ut librarij loquuntur) pagina 731. manifeſtè patet. Ibi enim ſic legitur: *Chriſtus revera omnia implet, & ubiq; non tantùm ut Deus, verùm etiam ut homo præſens, dominatur à mari uſq; ad mare.* quæ identidem varijs in locis repetunt. Doctrinam porrò hanc ex Luthero hauſiſſe Brentius exiſtimatur, qui ſic olim ſyllogizabat: ubi Deus eſt, ibi Chriſti quoque caro eſt: atquì Deus eſt ubique: ergo & Chriſti caro. Quæ autem neceſſitas Lutheranos in has anguſtias compulerit, ut ad abſurdiſſimum hoc ubiquitatis commentum confugere oportuerit, dicam paucis ex Becano, qui, eâ de re ex profeſſo ſcribens, hunc ferè in modum loquitur: erat inter Lutheranos & Sacramentarios lis de præſentia corporis Chriſti in Eucharistia, quam negabant Sacramentarij, aſſerebant verò Lutherani: utebantur ſacramentarij hoc argumento: unũ idémque corpus non poteſt eſſe ſimul in diverſis locis: ſed corpus Chriſti poſt aſcenſionem eſt in cœlo: ergo

go non poteſt ſimul eſſe in altari, ſeu in Evchariſtia. Lutherani non videbant, ſe poſſe evadere, niſi adhibitâ diſtinctione; itaq; concedebant unum idémque corpus non poſſe ſimul eſſe in diverſis locis, quando non eſt ubique: negabant, non poſſe eſſe ſimul in diverſis locis, quando eſt ubique. ut ergo ſalvarent præſentiam corporis Chriſti in cœlo, & in altari, dixerunt, corpus illius eſſe ubique, ſed diverſo modo. In cœlo localiter & viſibiliter, in Evchariſtia ſacramentaliter, ubique, illocaliter, & inviſibiliter. in qua tamen aſſertione inter ſemetipſos diſcrepant. Nam aliqui dicunt, Chriſtum eſſe ubique ab inſtanti conceptionis, quidam poſt reſurrectionem, nonnulli poſt aſcenſionem, alij verò poſt ſeſſionem ad dexteram DEI Patris: quorum ineptias non ſolùm reijcit Becanus, verùm etiam copioſè admodum refellit Bellarminus tom. 1. lib. 3. de Chriſti incarnatione cap. 11. & ſequentibus.

Et verò mirum eſt, homines in tanta evangelicæ claritatis, quam præſeferunt, luce, ita potuiſſe à Principe tenebrarum obcœcari, ut dicant, Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe ubique; in cœlo ſcilicet, in inferno, in pane, in vino, cereviſia, lacte, oleribus, carnibus, culina, macello, foro &c. riderent utique & cum riſu exploderent ejuſcemodi ineptias pueri, occineréntque Ubiquitarijs verſiculos hoſce Rutulij cujusdam, qui apud Adamum Contziũ reperiuntur, de unione & Synodo generali Evangelicorum.

Cur (dictum horrendum) Chriſti tibi corpus ubiq; eſt? *Act. 2. in fine cap. 19.*
Saxa replens, & poma replens, & pocula repplens;
O myſteria bella, ô veſtris digna Sacellis
Orgia, delubris vix olim cognita Nili?

Hinc ſiquidem eſt, quòd Vertumnus ille Melanchton, qui, vivente adhuc Luthero, patrocinium ubiquitatis ſuſcepiſſe videbatur, eo ad aliam vitam abrepto, eandem jure merito irriſiſſe legatur. Concludimus igitur Ubiquitariorum delirium verbis graviſſimis Bellarmini Cardinalis, qui id, quod res eſt, non riſu, ſed ſeriò decernens, hunc in modum loquitur: *ut Lutheranis facilè eſſet, veram Chriſti carnem in ſacramento habere præſentem, eandem carnem ab ipſa ſua conceptione ubique fuiſſe, ac ſemper, omniáque omnino loca eo modo, quo DEUS facit, replere docuerunt. Quod portentum (neq; enim dogma, vel ſententia, vel opinio, vel ſimplex eti-*

am hæreſis nominari debet) ſcripturis repugnat, adverſatur Patribus, evertit ſymbolum, Chriſti naturas cum Eutychete confundit, & ipſum deniq; (quod mirandum videtur) ſacramentum deſtruit, pro quo adſtruendo fabricatum eſt. & paulò poſt: *ſymbolum verò fidei monſtroſa hæc ubiquitas (hoc enim barbaro vocabulo barbarus error nominari meruit) ita corrumpit, atq; depravat, ut Chriſti conceptionem, ortum, paſſionem, obitum, ſepulturam, deſcenſionem ad inferos, reverſionem ab inferis, aſcenſionem ad cælum, reverſionem à cælo, non vera & propria, ſed metaphorica, ac pene phantaſtica cum Marcione & Manichæo nobis efficiat.* hæc Bellarminus. quibus prælibatis:

§. 44.
Sequela tertia oſtenditur eſſe vera.

SPiritus A. Macrocoſmi, qui eſt eſſentialis forma panis, & corporificat materiam corporis Chriſti tam in cœlo, quàm in Eucharistia, eſt indiviſibiliter totus in toto, & totus in qualibet parte univerſi, ac proinde ubique: Chriſtus ergo ſecundùm formam corporeitatis, & conſequenter, ut vegetativus, & ſenſitivus, & rationalis eſt ubique. Conſequentia patet, antecedens eſt Pneumocoſmicorum. Quod autem conſequentia ſit evidens, dato antecedente, hac oſtenditur apodixi à paritate.

APODIXIS.

DEUS eſt ubique: ſed Chriſtus eſt Deus, qui eſt ubique: ergo Chriſtus, ut Deus, eſt ubique. tunc ſic: ſpiritus mundi eſt ubique: ſed Chriſtus conſtituitur in eſſe ſubſtantiæ corporeæ, ſenſitivæ, & vegetativæ per ſpiritum mundi, qui eſt ubique: ergo Chriſtus ſecundùm formam corporeitatis & ſenſitivam &c. eſt ubique: atquì hoc portentum excluſum eſt, ut dogma Lutheri: ergo &c.

Infertur IV.

CHriſtum, ut hominem, eſſe biſariam ubique, videlicet & ſacramentaliter, & circumſcriptivè: ſacramentaliter; quia ſub ſpeciebus eucharisticis panis & vini verè exiſtit totus Chriſtus,

ſtus, cujus forma vegetativa, & ſenſitiva eſt eſſentialiter eadem numero forma ſubſtantialis panis, quæ per eſſentiam eſt ſpiritus mundi, qui eſt ubique: Chriſtus ergo exiſtens in Eucharistia eſt etiam ubique. Circumſcriptivè: quoniam forma corporeitatis, & ſenſitiva, & vegetativa in Chriſto, eſſentialiter eſt ſpiritus mundi, qui ubique exiſtens, quantitatis figurâ, coævisque accidentibus circumſcribitur phyſicè: ergo &c. idem dicendum de qualibet parte univerſi (quam forma ſubſtantialis informat) quoad ubiquitatem circumſcriptivam, ac de Chriſto, verùm illum in exemplum adduximus, quòd omnibus ipſe ſufficit.

V.

EX hactenus dictis infertur, ſpiritum mundi eſſe ſpiritum ſanctum. ſequela probatur: *quis audeat* (proponit S. Ambroſius) *creaturam dicere Spiritum ſanctum, qui in omnibus, & ubiq;, & ſemper eſt: quod utiq; divinitatis eſt proprium?* atquì Pneumocosmici dicunt, ſpiritum mundi eſſe indiviſibiliter totum in toto, & totum in qualibet parte univerſi, ac proinde ubique: Spiritus ergo Macrocoſmi Spiritus ſanctus eſt. ergo &c. Videatur D. Thomas 1. p. q. 8. a. 4. ubi aſſerit, *quòd ſi in rerum natura eſſet unum ſolum animal* (utì eſt Macrocoſmus in ſecta Pneumocoſmicorum) *anima ejus eſſet ubiq;.* ergo &c.

S. Ambroſ. lib. 1. de ſpiritu S. c. 7. circa princip. tom. 42.

Ultimò.

DEnique infertur, altitudinem incomprehenſibilem ſacroſancti myſterij Trinitatis evacuari ab aſſertoribus ſpiritûs mundi. probatur ſequela: ſacramentū incomprehenſibile Trinitatis conſiſtit in identitate unius Deitatis cum tribus ſuppoſitis, inter ſe realiter diſtinctis: atquì ſpiritus mundi eſt realiter idem cum innumeris ſuppoſitis realiter diſtinctis: ergo &c. Major eſt principium revelatum: minor probatur: ſubſiſtentiæ, ſuppoſitorum creatorum conſtitutivæ, non diſtingvuntur realiter, tanquam res à re, à ſpiritu mundi (nullus enim modus diſtingvitur realiter & abſolutè à re, cujus eſt modus) quem multipliciter incommunicabilem alteri, tanquam ſuppoſito, reddunt: eſt igitur realiter idem mundi ſpiritus cum ſuppoſitis innumeris. Si ſpiritus mundi, forma omnino indiviſibilis, plurificatur quoad ſuppoſita realiter abſolutè diſtincta,

S 3 manen-

Digitized by Google

manente entitativâ identitate ſuppoſitorum cum eodem ſpiritu, quidni natura divina ſit una in tribus hypoſtaſibus, reſpectivè tantùm diſtinctis realiter; indiſtinctis tamen entitativè ab ipſa natura? evacuatur ergo ſine dubio à fautoribus ſpiritûs mundi ſacramentum Sacroſanctæ Trinitatis.

§. 45.

Proponitur ſecundum Fundamentum contra Pneumocoſmicos, & evaſio eorum convellitur.

S*I homo duas haberet animas* (objicit Theodidactus contra Pneumocoſmicos, in Typho generis humani cap. 11. fol. 133. object. 5.) *illa eadem in Chriſto deberent admitti: ſed in illo admitti non poſſunt: ergo nec in homine ſunt duæ admittendæ. probatur minor: ſi in Chriſto fuiſſet anima ſenſitiva præter animam rationalem, vel fuiſſet in triduo mortis corrupta, vel non? neutrum dici poteſt; ergo. minor oſtenditur: primum namq; dici non poteſt, aliàs caro Chriſti vidiſſet corruptionem, & Verbum notabilem ac eſſentialem partem, quam ſemel aſſumpſit, dimiſiſſet, quod eſt contra communem SS. Patrum & DD. ſententiam. ſi non fuit corrupta, vel manſit unita, vel ſeparata à corpore? non unita, aliàs corpus Chriſti in triduo mortis fuiſſet vivens: non ſeparata: cùm enim ſit materialis, non poteſt ſeparatim à materia exiſtere, & abſurdum eſt dicere illam ſimul ad inferos deſcendiſſe, vel miraculosè alibi delituiſſe.* En argumentum in calamo neoterici.

§. 46.

Solutionem ejusdem pro Pneumocoſmicis attentis audiamus auribus.

SOLUTIO.

R*Eſpondent* (proſequitur idem) *Pneumocoſmici, animam ſenſitivam Chriſti in triduo mortis materia corporis manſiſſe unitam. non tamen ideò corpus illud potuiſſe dici vivens: nam per corpus vivens illud tantùm debet intelligi, quod eſt proximè potens ad actiones vitales, naturaliter exercendas. Corpus autem Salvatoris in triduo mortis diſpoſitioni-*

tionibus caruit, quæ ad actiones vitales requiruntur: unde etiam abfuit anima rationalis, quæ ad ſui unionem eas in corpore prærequirit. & quamvis Archæus, ſive anima ſenſitiva hominis, ante infuſionem animæ rationalis, aliquas operationes vitales exercere poſſit, ut patet in embrione; probabile tamen eſt, illam vitaliter non poſſe operari, quamdiu à rationalis animæ conſortio, ſemel inito, manet ſeparata. Hæc neotericus pro ſpiritûs mundi fautoribus, contra quos.

§.

I.

Producitur in medium articulus damnatus ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino, D. Stephano Epiſcopo Pariſienſi, anno ſalutis reparatæ 1226. qui ſic ſonat:

SI *quis dixerit, quòd, recedente animâ rationali, adhuc manet corpus animatum, & animal unum. error.* tenete hanc majorem, Pneumocoſmici, & ſubſumptam hanc deglutite minorem: atquì corpus Chriſti in triduo, in abſentia animæ rationalis, manſit unitum ſubſtantialiter, ac connaturaliter ſpiritui mundi, ut ſenſitivo; ergo & animatum, & animal fuit: ergo vivens ſenſibile. Utraque conſequentia patet à definitione ad definitũ, quæ eſt propoſitio ſempiternæ veritatis, & ab effectu formali cauſæ ad ipſam cauſam, in eſſe talis phyſicè communicatam. ergo &c.

I I.

SIcut anima rationalis habet connaturaliter connexas virtutes proximas operandi in linea intellectiva & volitiva, ſcilicet intellectum & voluntatem, per quas in omni ſtatu, tam ſeparationis, quàm immerſionis in corpore, conſtituitur proximè intellectiva, & volitiva, nec non vivens in actu primo: ſimiliter omnis anima, ſive purè vegetativa, ut in plantis, ſive vegetativa & ſenſitiva ſimul, ut in beſtijs, à natura habet, ac proinde inamiſſibiliter, virtutes proximas operandi, nimirum nutritivam, locomotivam, generativam, ſenſum communem, æſtimativam, & quinque ſenſus externos &c. Quod nullus niſi cæcus morio audebit negare. atquì

Digitized by Google

atquì implicat, quòd anima rationalis, ut intellectiva, ſit communicata corpori, & quòd non emergat ex illa & corpore concretum hoc, *homo*, qui ſit tam ſubſtantialiter, quàm accidentaliter proximè, & in actu primo intellectivus, & conſequenter volitivus: ergo etiam implicat, quòd anima ſenſitiva, ſuis veſtita virtutibus proximis operandi, ſit communicata corpori organizato, & quòd hoc non reddat ſenſitivum, nedum ſubſtantialiter, ſed etiam proximè accidentaliter. Major eſt per ſe nota: minor evidens: conſequentia legitimè infertur. Tunc ſic: anima mundi, nullis amiſſis potentijs, ſeu virtutibus proximè operativis (ſunt enim inamiſſibiles naturaliter) quas habebat, ante creationem infuſivam animæ rationalis, in hoc corpore A. v. g. quàsque inſeparabiliter conſervat in eodē poſt diſceſſum illius, manſit unita invariabiliter, quoad effectum formalem vegetandi & ſentiendi ſubſtantialiter, corpori Chriſti Domini in triduo; ergo conſtituebat illud vivens ſenſibile, ſeu animal vivum tam ſubſtantialiter, quàm proximè accidentaliter: antecedens eſt notum, conſequentia luce meridianâ clarior. ergo corpus Chriſti in triduo fuit hoc animal A. vivens, ſenſitivum. Quod deeſt aliud nihil, quàm articulus damnatus. ergo &c. Ex hac demonſtratione patet, quàm voluntariè dictum fuerit: *per corpus vivens illud tantùm debet intelligi &c.*

§.
Confirmatio:

IMplicat, invariatâ manente unione ſubſtantiali extremorum, unitorum per modum actûs & potentiæ, variatio ſubſtantialis mutui effectûs formalis & materialis eorundem: atquì unio ſubſtantialis, qua mutuò obligantur materia corporis Chriſti & ſpiritus mundi, ut ſenſitivus, non fuit ſoluta in diſceſſu animæ rationalis, ut fatentur ſectarij (& tenentur, velint nolint, dicere, ne admittere cogantur corruptionem ſubſtantialem ſpiritûs mundi in eſſe formæ ſenſitivæ, & conſequenter abſolutam & totalem, quia indiviſibilis forma) ergo ſpiritus mundi in triduo eodem modo conſtituebat corpus Chriſti vivum, ſenſitivum &c. quo in præſentia ani-
mæ

Digitized by Google

mæ rationalis. Major eſt evidens, minor adverſariorum: conſequentia legitima: ergo corpus Chriſti fuit in triduo hoc animal, *ecce errorem*.

III.

MOrs Chriſti fuit violenta: ergo indiſpoſitiones, illatæ corpori, fuerant violentæ. conſequentia patet. antecedens eſt de fide: ſed nullum violentum poteſt diu conſervari in ſubjecto, in quod vi introducitur, unde ortum habet tritum illud axioma: *violentum non poteſt diu ſubſiſtere*: ergo, expulſis & corruptis in diſpoſitionibus illatis, poterit forma univerſalis mundi corpus Chriſti informare, & ſenſificare, ſicut antiquitùs. Sed ex hoc ſequitur, quòd reſurrectio mortuorum ſit naturalis, ut ex argumento patet. ergo cùm hoc ſit contra fidem, etiam ſecta Pneumocoſmica contra fidem erit.

IV.

PRo priori, ad animæ rationalis infuſionem creativam, ſentiebat corpus: ergo & poſt diſceſſum ſentire debet. antecedens non poteſt negari à Philoſopho Platonico, nec à Peripatetico, utpote contra naturalem experientiam. probatur conſequentia: quod eſt ſecundùm exiſtentiam abſolutè prius, non dependet à poſteriori in eſſe & operari abſolutè: atqui anima mundi, non ſolùm prout in toto mundo, ſed etiam prout in corpore *hoc A.* ſive Petri, ſive Chriſti, abſolutè prior fuit animâ Chriſti ſecundùm eſſe exiſtentiale, & ſecundùm operationem: ergo Corpus Chriſti poſt diſceſſum animæ rationalis profectò ſentiebat. major eſt certa, ut videre licet in ordine & modo cauſarum & principiorum. minor etiam innegabilis eſt, conſequentia in bona figura: ergo idem, quod prius.

V.

DEUS potuit, abſolutâ potentiâ, depellere omnes indiſpoſitiones retardantes, & impedientes communicationem formalem ſpiritûs mundi, poſt diſceſſum animæ rationalis, à corpore Chriſti Domini: ergo interea temporis illud ſacrum corpus non ſolùm vegetaretur, & ſenſificaretur ſubſtantialiter, ſed etiam moveretur, loqueretur, videret, audiret, & tandem generare poſſet aliud vivens ejuſdem ſpeciei ſenſitivæ, cui Deus etiam denegaret animam rationalem: antecedens à nullo Chriſtiano, profitente *cre-*

do in unum Deum Patrem omnipotentem, negari poteſt. conſequentia eſt proles legitima antecedentis. Ex his ſequitur, quòd poſſimus vertere in dubium, an Moriones & ſtolidi homines habeant animam rationalem, & maximè, qui à natura ſunt ſurdi, & conſequenter muti, in quibus nullum deprehendimus diſcurſum: ſed tale dubium ſolis Pneumocoſmicis dignum eſt; ergo &c.

V I.

Ab inconſequentia doctrinæ.

A*Nima rationalis* (argumentantur pro ſe Pneumocoſmici in tract. de vanitate generis humani, cap. 11. arg. 2) *cum ſit ſpiritualis, eſt valde improportionata, ut effectus & ſenſationes materiales eliciat.* Item: *ut det eſſe corpori: congruentiùs ergo videntur ratiocinari, qui ſpirituales tantùm operationes illi attribuunt, & materiales animæ ſenſitivæ.* hæc ſectarij. Atquì anima mundi, ut patet ex Triſmegiſto, Platone & citato à D. Auguſtino, Manil: Orpheo, & alijs, & ſecundũ ipſos Pneumocoſmicos, ut conſtat ex prima hypotheſi, & ex illo Virgilij: *mens agitat molem &c.* ex Hippocrate, ex Campanella, & tandem ex hypotheſi quinta, eſt non tantùm vegetativa & ſenſitiva, ſed etiam rationalis: ac proinde poteſt vegetare, ſenſificare, & mentificare: ergo anima microcoſmi idem poteſt facere, & ſi hæc non poteſt facere, porrò neq; illa, & ſic ruit penitus edentula Pneumocoſmicorum ſecta.

§. 47.

Excuſatio contradictoria Pneumocoſmicorum, à ſecta Magiſtrorum ſuorum deſciſcentium, in medium producitur.

§.

NOs non dicimus (poſſent hìc reſpondere Juniores animæ mundi fautores) mundum conſtare animâ rationali; falsò ergo & perperàm tot in nos efformantur argumenta.

Reſponſio.

NUnquam vero conſona profertis: contraria ideò conſequenter dicitis. Si mundi Spiritus non eſt ſubſtantia intellectiva, ad

ad quid illud veſtri Principis: *mens agitat molem?* nunquid non tanto Doctore veſtram confirmaſtis primam hypotheſim? Ad quid illud Hyppocratis, *videtur ſanè mihi id, quod calidum vocamus, & cuncta intelligere, & videre &c.* ut dictum eſt §. 28. hypotheſi 7. nunquid non ex illo Thomas Campanella, veſter Anteſignanus, cap. 11. lib. 1. deliriorum ſuorum, aſſerit, aërem diſcurrere, univerſalia percipere, & ſingularia diſtingvere? nunquid non ſtatuit animam mundi eſſe Angelis abſolutè perfectiorem, & quia intellectivam, & quia in toto mundo? nunquid non in quinta hypotheſi aſſeruiſtis, mundi ſpiritum poſſe in homine præſtare gradum rationalitatis, niſi fides contrarium doceret? ſi unum decretum fidei totam exſufflavit à ſpiritu mundi rationalitatem, profectò ante exſufflationem rationalis erat; atqui indiviſibilis etiam erat: totus ergo uno decreto ſpiritus extinctus eſt. Nunquid non Hermes Triſmegiſtus, nobis Mercurius, Deorum nuntius, ut credebant Ægyptij, & de quo, interprete Servio, intelligitur illud carmen Poëtæ Latini:

Huc etiam interpres Divûm Jove miſſus ab ipſo.

IN 8. ſermone Pimand, ſecundum Deum vocat mundum, ſpiritu præditum rationali? nunquid non idem Orpheus, Manilius, & alij? nunquid non Auguſtinus lib. 1. confeſſ. cap. 23. & lib. 13. de civitate Dei cap. 17. refert, divinum Platonem ſenſiſſe hunc viſibilem mundum eſſe animal maximũ, beatiſſimum, ſempiternum, cujus anima & perfectam ſapientiæ felicitatem teneret, & proprium corpus non relinqueret? nunquid ſapientia in belluis? nunquid non diſtribuiſtis in prima hypotheſi partes univerſi tam ſubſtantiales, quàm integrales, juxta Platonis mentem & methodum? nunquid non veſter Magiſter? nunquid non omnes vos Hermitici vocitari exoptatis? quomodo ergo tam citò à doctrina Magiſtrorum veſtrorum deſciſcitis? nunquid non Auguſtinus vera refert? ita. eſt ergo Auguſtinus veridicus in relatione ſectæ Platonicæ, Juniores autem, Spiritûs mundi fautores, ſibimetipſis manifeſti contradictores. Nunquid non in tract. de Typho generis humani cap. 12. fol. 145. ultimum argumentum ſic proponitis?

Digitized by Google

§.

HOmo paſſim à Philoſophis vocatur Microcoſmus, ſeu parvus mundus. ſi homo eſt parvus mundus, mundus erit magnus homo. ergo ſicut in homine datur quædam anima, quæ omnes ipſius partes informat, ſic etiam aliqua huic mundo tribuenda eſt anima, quâ omnes illius partes animentur, ſibiq; cohæreant, conſtituendo unum ens per ſe. Ecce veſtrum argumentum à paritate,

§.

Ecce inconſequentiam.

MAcrocoſmus, ſeu mundus magnus viſibilis, ſecundùm Hermeticos Juniores, ut patet ex illorum argumento, magnus eſt homo. ergo eſt animal rationale. conſequentia eſt adæquata definitio omnis hominis, ſeu hominis ut ſic, & in communi. ac proinde ſempiternæ veritatis, ab omni quidem tempore abſolutæ, non aliter, quàm divina hominis idea, quæ æternitate menſuratur. ubi eſt ergo doctrinæ conſequentia? ubi eſt veſtra querela? ergo &c.

I I.

IN prima hypotheſi fol. 129. & fol. 149. Anima mundi à vobis aſſeritur planè ſimplex, ac indiviſibilis, & tota in toto, & tota in qualibet parte univerſi. tunc ſic: in Macrocoſmo non eſt niſi unica anima: ergo in Microcoſmo non eſt, niſi unica. ſed hujus anima eſt rationalis, tota in toto, & tota in qualibet parte corporis: ergo & Macrocoſmi anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte illius. Macrocoſmus unicam habet animam? ergo ſpiritus mundi non habet locum in corpore humano. conſequentia hæc patet à ſufficienti partium enumeratione; vel è converſo: in Microcoſmo ſunt duæ animæ: ergo etiam in Macrocoſmo. Omnes iſtæ conſequentiæ ſunt Sole lucidiores. Vel ſic: pro tota machina univerſi unica ſufficit anima? quare ergo non erit ſufficiens anima rationalis pro machinella corporis humani? tandem, unica ſufficit anima pro toto mundo; ergo eadem numero potens eſt parvum mundum actuare ſecundùm omnes gradus perfectionis: ac per conſequens

in

Digitized by Google

in homine non erit alia anima, quàm ſpiritus mundi. Nonne vobis videtur clara doctrinæ inconſequentia? altiora petamus, nimirùm prodigiorum prodigium.

§. 48.

Mundus viſibilis ſecundùm Pneumocoſmicorum ſectam unitus eſt hypoſtaticè Verbo Dei, unde Chriſtus & Deus realiter eſt.

ANtequam hoc novum, & à nullo excogitatum myſterium, reveletur in tenebris ignorantiæ habitantibus Pneumocoſmicis, & ſimul librorum cenſoribus, operæ prætium duximus hìc inſerere Eccleſiæ ſanctæ Dei veritatis Sanctiſſima Decreta, Hæreticorum anathematiſmos.

I.

S*I quis introducere conetur* (definiverunt PP. Concilij Conſtantinopolitani quinti contra Neſtorium) *in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas, anathema ſit.* *apud D. Thom. 4. cont. gent. c. 38.*

I I.

S*I quis non confitetur* (inquit Cyrillus in epiſt. ad Neſtorium, in prima Epheſina Synodo approbata) *carni ſecundùm ſubſiſtentiam unitum ex Deo Patre Verbum, unúmque eſſe Chriſtum cum ſua carne, eundem videlicet Deum ſimul & hominem, anathema ſit.* *ibidem. Lege epiſtas S. Cyrilli ad Succeſſ. ad Joannem, ad Auguſt. ad Eulogium & ad Neſtor. &c.*

Catholica hypotheſis ſecundùm Noſtrum D. Joannem Damaſcen. lib. 3. orthod. fidei, cap. 12.

EX duabus naturis perfectis dicimus eſſe factam unionem, non ſecundùm πρόσωπον, id eſt, perſonam, ut Dei inimicus dicit Neſtorius, ſed ſecundùm hypoſtaſin. Unde patet expreſsè (concludit Doctor Angelicus) quòd hæc fuit poſitio Neſtorij, confiteri unam perſonam, & duas hypoſtaſes. *ibidem.*

T 3 §. 49.

Digitized by Google

§. 49.

Qualis diſtinctio (petet Lector) eſt inter hypoſtaſin & perſonam?

D. Th. lib. 4. contra Gent. c. 38. in principio.

QUidam (dictat Doctor Angelicus) *poſuerunt, ex anima & carne in Domino JESU Chriſto unam ſubſtantiam conſtitutam eſſe, ſive hominem quendam ejuſdem ſpeciei cum alijs hominibus, quem quidem hominem unitum dicunt Verbo Dei, non quidem in natura, ſed in perſona, ut ſcilicet, ſit una perſona Verbi Dei, & illius hominis. Sed quia homo ille quadam individua ſubſtantia eſt, quod eſt eſſe hypoſtaſin, & ſuppoſitum: dicunt quidem, in Chriſto eſſe hypoſtaſin ſeu ſuppoſitum illius hominis, & ſimul Verbi Dei, ſed unam perſonam utriusq;. Sed hæc poſitio de neceſſitate in errorem Neſtorij dilabitur. Si enim differentia perſonæ & hypoſtaſis attendatur, invenitur perſona eſſe non alienum ab hypoſtaſi, ſed quædam pars ejus. Nihil enim aliud eſt perſona, quàm hypoſtaſis talis naturæ, ſcilicet rationalis, quod patet ex definitione Boëtij, in libro de duabus naturis & una perſona Chriſti, dicentis: quòd perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia. Ex quo patet, quòd, licet non omnis hypoſtaſis ſit perſona, omnis tamen hypoſtaſis humanæ naturæ perſona eſt. ſi igitur ex ſola unione animæ & corporis conſtituta eſt in Chriſto quædam ſubſtantia particularis, quæ eſt hypoſtaſis, ſeu ille homo, ſequitur, quòd ex eadem unione ſit conſtituta perſona, ſic igitur in Chriſto erunt duæ perſonæ, una illius hominis de novo conſtituta, & alia æterna Verbi Dei, quod eſt error Neſtorianæ impietatis.* Hac doctrinâ Doctoris Angelici expoſita manet hypotheſis N. Joannis Damaſc.

§. 50.

Impietas Neſtorij convellitur ſanctione Concilij Epheſini.

ex D. Th. 4. contra Gent. cap. 38.

S*I homo ille, ſuppoſitô, ſeu hypoſtaſi, eſt aliud à Dei Verbo, non poteſt ad perſonam Dei pertinere, niſi per aſſumptionem, quia aſſumptus eſt à Verbo: ſed hoc eſt alienum à recto ſenſu fidei. dicitur enim in Epheſina Synodo ex verbis Fælicis Papæ & Martyris: Credimus in Deum noſtrum JESUM Chriſtum de Virgine MARIA natum. quia ipſe eſt Dei ſempiter-*

Digitized by Google

ternus filius, & Verbum, & non homo à Deo aſſumptus, ut alter ſit præter illum. neq; enim hominem aſſumpſit Dei filius (hoc eſt, ſubſiſtentem) ut ſit alter præter ipſum: ſed Deus exiſtens perfectus, factus ſimul & homo perfectus, incarnatus eſt de Virgine. Hæc ex Synodo Epheſina D. Thomas.

I I.

Apodixis Theologica in ore Doctoris Angelici.

QUæ ſunt plura ſuppoſito, ſimpliciter plura ſunt: nec ſunt unum, niſi ſecundùm quid: ſi igitur in Chriſto ſunt plura ſuppoſita, ſequitur, quòd ſit ſimpliciter duo, & non ſit unum niſi ſecundùm quid. quod eſt tollere Jeſum. quia unumquodq; in tantum eſt, in quantum unum eſt: quod igitur non eſt ſimpliciter unum, non eſt ſimpliciter ens. ergo &c. *ibidem.*

I I I.

Anathematiſmus.

SEcundùm poſitionem prædictam (proſequitur Doctor Angelicus) *ea, quæ Verbo Dei conveniunt per naturam, de illo homine non dicerentur, niſi per quandam aſſociationem in una perſona: ſed hoc condemnat Cyrillus, dicens: ſi quis audet dicere, aſſumptum hominem coadorari oportere, Dei Verbo conglorificari, & coapellari Deum, quaſi alterum alterius, & non magis unâ adoratione honorificat Emmanuelem, & unam ei glorificationem adhibet, ſecundùm quod factum eſt caro Verbum: anathema ſit.* *ibidem.*

§.

Doctrina Angelica.

DAto, ſed non conceſſo (ediſſerit Doctor Angelicus) *quòd perſona eſſet aliud ab hypoſtaſi Verbi Dei, vel hominis, non poſſet alia differentia inveniri, niſi, quòd perſona ſupra hypoſtaſin addit proprietatem aliquam. Nihil enim ad genus ſubſtantiæ pertinens addere poteſt; cùm hypoſtaſis ſit potiſſimum in genere ſubſtantiæ, quod dicitur ſubſtantia prima: ſi igitur unio facta eſt ſecundùm perſonam, & non ſecundùm hypoſtaſim, ſequitur, quòd non ſit facta unio niſi ſecundùm aliquam proprietatem accidentalem: quod iterum redit in errorem Neſtorij.* *ibidem.*

Digitized by Google

§. 51.

Decretalis Alexandri Papæ cap. cum Chriſto de hæred. *adverſus Magiſt. Sentent. expedita, apud Baronium anno Chriſti 1179. ex concilio Lateranenſi ſub eodem Alexandro congregato. pag. 49. c. 20. transſcripta.*

*ALexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Willelmo Semenſi Archi-Epiſcopo ſalutem. Cùm in noſtra olim eſſes præſentia conſtitutus, tibi vivâ voce injunximus, ut, Suffraganeis tuis Pariſijs tibi adſcitis, ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri, quondam Pariſienſis Epiſcopi, quâ dicitur, quòd Chriſtus, ſecundùm quod eſt homo, non eſt aliquid, omnino intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde ſi quid eſt, quod fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, quod tibi, cùm præſens eſſes, præcepimus, Suffraganeos tuos Pariſios convocares, & unà cum illis, & alijs viris religioſis & prudentibus, præſcriptam doctrinam ſtuderes penitus abrogare, & à magiſtris Scholaribus, ibidem in theologia ſtudentibus, Chriſtum ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum hominem, ac verum hominem * ex ſola animâ rationali & corpore conſiſtentem præcipias edoceri, univerſis firmiter & ſtrictè injungens, quòd doctrinam illam de cætero nequaquam docere præſumant, ſed ipſam penitus deteſtentur.* Hæc Chriſti Vicarius. Tunc ſic: verus & perfectus homo ſolùm conſtat animâ unâ rationali & corpore, ſcilicet materiâ primâ: non ergo dantur tres animæ in unoquoque homine, ac per conſequens nec ſpiritus mundi: ergo &c.

NB.

§.

Sanctiſſimi Pontificis Noſtri Gregorij Magni.

Deciſio.

ABſit hoc ab intellectibus noſtris, ut Perſonam Dei & hominis Redemptoris JESU Chriſti ex duabus perſonis credamus unitam. ex duabus quippè, atque in duabus hunc exiſtere naturis dicimus: ſed ex duabus perſonis compoſitum credi, ut nefas vitamus.

§. Quid

Digitized by Google

§.

Quid Doctor Angelicus ad Decretalem Alexandri Papæ dicit?

§. 52.

Præſigitur titulus difficultatis.

§.

An natura humana fuerit unita Verbo Dei accidentaliter?

AD *hujus queſtionis evidentiam* (dictat Magiſter Angelicus) *ſciendum eſt, quòd circa myſterium unionis duarum naturarum in Chriſto, duplex hæreſis inſurrexit. Una quidem confundentium naturas: ſicut Euthicetis & Dioſcori, qui poſuerunt, quòd ex duabus naturis eſt conſtituta una natura, ita quòd confitentur Chriſtum eſſe ex duabus naturis, quaſi ante unionem diſtinctis: non autem in duabus naturis, quaſi poſt unionem naturarum diſtinctione ceſſante.* D. Th. 3. p. q. 2. a. 6. in O.

§.

A*Lia verò fuit hæreſis Neſtorij & Theodori Moſueſtheni, ſeparantium Perſonas, ſeu hypoſtaſes, ut dictum eſt. Quidam autem poſteriores Magiſtri putantes, ſe has hæreſes declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum conceſſerunt unam Chriſti perſonam, ſed poſuerunt duas hypoſtaſes, ſive duo ſuppoſita, dicentes: hominem quendam, compoſitum ex corpore & anima, à principio ſuæ conceptionis eſſe aſſumptum à Dei Verbo. & hæc eſt prima opinio, quam Magiſter ponit in 6. diſt. lib. 3. ſentent.* ibidem.

§.

A*Lij verò, volentes ſervare unitatem perſonæ, poſuerunt, Chriſti animam non eſſe corpori unitam: ſed hæc duo ſeparata ab invicem, eſſe unita Verbo accidentaliter, ut ſic non creſceret numerus perſonarum. & hæc eſt tertia opinio, quam Magiſter ibidem ponit. utraq; autem harum opinionum incidit in hæreſim Neſtorij.* ibidem.

Quod ſic oſtenditur à D. Thoma.

P*Rima quidem* (proſequitur immediatè Doctor Angelicus) *quia idem eſt ponere duas hypoſtaſes, vel duo ſuppoſita in Chriſto, ac ponere* ibidem.

§. 51.

Decretalis Alexandri Papæ cap. cum Chriſto de hæred. *adverſus Magiſt. Sentent. expedita, apud Baronium anno Chriſti 1179. ex concilio Lateranenſi ſub eodem Alexandro congregato. pag. 49. c. 20. transſcripta.*

*ALexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Willelmo Semenſi Archi-Epiſcopo ſalutem. Cùm in noſtra olim eſſes præſentia conſtitutus, tibi vivâ voce injunximus, ut, Suffraganeis tuis Pariſijs tibi adſcitis, ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri, quondam Pariſienſis Epiſcopi, quâ dicitur, quòd Chriſtus, ſecundùm quod eſt homo, non eſt aliquid, omnino intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde ſi quid eſt, quod fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, quod tibi, cùm præſens eſſes, præcepimus, Suffraganeos tuos Pariſios convocares, & unà cum illis, & alijs viris religioſis & prudentibus, præſcriptam doctrinam ſtuderes penitus abrogare, & à magiſtris Scholaribus, ibidem in theologia ſtudentibus, Chriſtum ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum hominem, ac verum hominem * ex ſola animâ rationali & corpore conſiſtentem præcipias edoceri, univerſis firmiter & ſtrictè injungens, quòd doctrinam illam de cætero nequaquam docere præſumant, ſed ipſam penitus deteſtentur.* Hæc Chriſti Vicarius. Tunc ſic: verus & perfectus homo ſolùm conſtat animâ unâ rationali & corpore, ſcilicet materiâ primâ: non ergo dantur tres animæ in unoquoque homine, ac per conſequens nec ſpiritus mundi: ergo &c.

NB.

§.

Sanctiſſimi Pontificis Noſtri Gregorij Magni.

Deciſio.

ABſit hoc ab intellectibus noſtris, ut Perſonam Dei & hominis Redemptoris JESU Chriſti ex duabus perſonis credamus unitam. ex duabus quippè, atque in duabus hunc exiſtere naturis dicimus: ſed ex duabus perſonis compoſitum credi, ut nefas vitamus.

§. Quid

Digitized by Google

§.

Quid Doctor Angelicus ad Decretalem Alexandri Papæ dicit?

§. 52.

Præfigitur titulus difficultatis.

§.

An natura humana fuerit unita Verbo Dei accidentaliter?

A*D hujus quæſtionis evidentiam* (dictat Magiſter Angelicus) *ſciendum eſt, quòd circa myſterium unionis duarum naturarum in Chriſto, duplex hæreſis inſurrexit. Una quidem confundentium naturas: ſicut Euthicetis & Dioſcori, qui poſuerunt, quòd ex duabus naturis eſt conſtituta una natura, ita quòd confitentur Chriſtum eſſe ex duabus naturis, quaſi ante unionem diſtinctis: non autem in duabus naturis, quaſi poſt unionem naturarum diſtinctione ceſſante.* D. Th. 3. p. q. 2. a. 6. in O.

§.

A*Lia verò fuit hæreſis Neſtorij & Theodori Moſuestheni, ſeparantium Perſonas, ſeu hypoſtaſes, ut dictum eſt. Quidam autem poſteriores Magiſtri putantes, ſe has hæreſes declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum conceſſerunt unam Chriſti perſonam, ſed poſuerunt duas hypoſtaſes, ſive duo ſuppoſita, dicentes: hominem quendam, compoſitum ex corpore & anima, à principio ſuæ conceptionis eſſe aſſumptum à Dei Verbo. & hæc eſt prima opinio, quam Magiſter ponit in 6. diſt. lib. 3. ſentent.* ibidem.

§.

A*Lij verò, volentes ſervare unitatem perſonæ, poſuerunt, Chriſti animam non eſſe corpori unitam: ſed hæc duo ſeparata ab invicem, eſſe unita Verbo accidentaliter, ut ſic non creſceret numerus perſonarum. & hæc eſt tertia opinio, quam Magiſter ibidem ponit. utraque autem harum opinionum incidit in hæreſim Neſtorij.* ibidem.

Quod ſic oſtenditur à D. Thoma.

P*Rima quidem* (proſequitur immediatè Doctor Angelicus) *quia idem eſt ponere duas hypoſtaſes, vel duo ſuppoſita in Chriſto, ac ponere* ibidem.

duas perſonas, ut ſupradictum eſt. & ſi fiat vis in nomine perſonæ: conſiderandum eſt, quòd etiam Neſtorius utebatur unitate perſonæ propter unitatem dignitatis & honoris. Unde etiam ſexta Synodus generalis ferit anathemate eum, (ut habetur in Synodo 2. Conſtantinopolit. can. 4.) qui dicit unam perſonam ſecundùm dignitatem, & honorem, & adorationem, ſicut Neſtorius & Theodorus inſanientes conſcripſerunt. Alia verò opinio incidit in errorem Neſtorij quantum ad hoc, quòd poſuit unionem accidentalem. Non enim differt dicere, quòd Verbum Dei unitum eſt homini Chriſto ſecundùm inhabitationem, ſicut in templo ſuo (ſicut dicebat Neſtorius) & dicere, quòd unitum fuit Verbum Dei homini ſecundùm induitionem, ſicut veſtimento; ſicut dicit tertia opinio, quæ etiam pejus dicit aliquid, quàm Neſtorius, ſcilicet, quòd anima & corpus non ſunt unita.

Deciſio Catholica.

ibidem. F*Ides autem Catholica* (proſequitur Doctor Angelicus) *medium inter prædictas poſitiones tenens, non dicit, unionem factam Dei & hominis ſecundùm eſſentiam, vel naturam, neq; etiam ſecundùm accidens: ſed medio modo, ſecundùm ſubſiſtentiam, ſeu hypoſtaſin. Unde in ſexta Synodo, quæ habetur in concilio 2. Conſtantinopolit. can. 4. dicitur: cùm multis modis unitus intelligatur, qui iniquitatem Apollinaris & Euthicetis ſequuntur, in peremptionem eorum, qui convenerunt, tollentes (id eſt, interimentes) utramq; naturam, unionem ſecundùm confuſionem dicunt: Theodori autem & Neſtorij ſequaces, diviſione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta verò Dei Eccleſia, utriuſq; perfidiæ impietatem reijciens, unionem Verbi Dei ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur, quæ eſt ſecundùm ſubſiſtentiam. Sic ergo patet, quòd ſecunda opinio, quæ ponit duas hypoſtaſes, & tertia, quæ ponit unionem accidentalem, non ſunt dicendæ opiniones, ſed hæreſes in Concilijs ab Eccleſia damnatæ.* Hæc Doctor Angelicus 3. p. q. 2. a. 6.

§.

Argumentum Doctoris Angelici, in quo citat Alexandri Papæ Decretal. contra unionem accidentalem humanitatis ad Verbum, refertur.

Illud,

Digitized by Google

Illud, quod accidentaliter prædicatur, non prædicat quid, ſed quantum, vel quale, vel aliquo alio modo ſe habens: ſi ergo humana natura accidentaliter adveniret, cùm dicitur Chriſtus eſt homo, non prædicaret quid, ſed quale, aut quantum, aut aliquo alio modo ſe habens: quod eſt contra Decretalem Alexandri Papæ dicentis; cùm Chriſtus ſit perfectus Deus & perfectus homo, qua temeritate audent quidam dicere, quòd Chriſtus, ſecundùm quod eſt homo, non eſt quid? ecce intellectum Decretalis. Vide Cyrillum in epiſt. ad Monachos Ægypti ad illa verba: Hunc Emmanuelem &c. Concilium Epheſinum 1. in explicatione fidei can 1.6. & 13. in quibus definitur, quòd Chriſtus eſt una perſona ſubſiſteus in duabus naturis. Calcedonenſe ſeſſ. 5. in decreto fidei. ubi habetur definitio, quam hîc citavit D. Thomas. hæc etenim duo concilia ſunt ex illis quatuor, quæ noſter Gregorius Papa Sanctiſſimus veneratus eſt ut quatuor Chriſti Evangelia. ut patet cap. 15. diſt. in decret. Idipſum definitum eſt in Concilio Conſtantinopolitano tertio, quod eſt ſextum inter generalia. act. 12. & 13. Idem in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & refertur in cap. firmiter. de ſumma Trinit. Idem in Concilio Florentino in decreto fidei tradito Armenijs. Idem in Concilijs Toletanis primo, ſexto & undecimo. Idem Athanaſius in Symbolo: *perfectus Deus, perfectus homo.* & infra: *non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum: unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Præterea inter alia, de quibus interrogatur Epiſcopus conſecrandus, unum eſt: credis Filium Dei Chriſtum ex duabus naturis, & in duabus naturis ſubſiſtentem? reſpondet conſecrandus: credo tanquam fidei articulum. Legatur epiſtola 10. Leonis Papæ, quæ approbata eſt tanquam Catholica in Concilio Calcedonenſi act. 5. & ex cap. S. Romanæ Eccleſiæ 15. diſt. in Decret. ubi habetur, *quòd nec minimum iota hujus epiſtolæ eſt rejiciendum.* in cujus epiſt. cap. 3. ita definit: *tenet utraque natura in Chriſto ſine defectu ſuam proprietatem, & ſicut formam ſervi Dei forma non adimit: ita formam Dei ſervi forma non minuit.* Quod quidem Leo dixerat in ſermone 1. de nativit. Legantur denique Concilium Hiſpalenſe ſecundum can. 13. Lateranenſe ſub Martino 1. & Edictum fidei Juſtiniani primâ part. Concil. in fine, & ſecundâ part. Concil. fol. 1. &c.

ibidem in arg. ſed contra.

Cyrillus. Concil. Epheſ. 1. Concil. Calcedon. Concil. Conſtantinop. Concil. Florent. Concil. Tolet. 1. 6. 11. Symbol. Athanaſ. in interrogat. Epiſcop. Conſecrand. Leo Papa. Concil. Hiſpal. Juſtinian.

§. 53.

Refertur vita Neſtorij.

Vide Theodor. Petreum. Carthus. in catalog. heret.

NEſtorius ex Presbytero Eccleſiæ Alexandrinæ aſcitus eſt ad ſedem Conſtantinopolitanam anno Chriſti 428. is depellendis hæreticis dedit non ſolùm ſalutare Theodoſio Imperatori conſilium, ſed & Arianorum Eccleſiam, in qua clam preces fundebant, demolitus eſt, alióſque quoſcunque, prout magni erat zeli vir, hæreticos inſectatus eſt, intérque illos Novatianos. Sed aliquantò poſt, ex Paſtore in lupum converſus, Chriſti gregem lacerare cœpit, fontem hæreſeos hauriens (quod hæreticis omnibus familiare eſt ac proprium) ex tumore mentis, neglectúque SS. Patrum, antiquarúmque Eccleſiaſticarum traditionũ contemptu. Qui ſicuti Pauli Samoſateni hæretici nepos legitur extitiſſe, ita quoque diſcipulus fuit Theodori nefarij illius Moſueſteni Epiſcopi, ita ut ab illis quoque eò faciliùs hæreſim didiciſſe cenſeri non immeritò queat.

Qui, dum ſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtingvere ſimulavit, duas induxit repentè perſonas, & inaudito ſcelere duos voluit eſſe filios Dei, totidemque Chriſtos; unum, qui Deus ſit, alterum, qui ex matre generatus; atque adeò ſacrilegè aſſeruit, Deiparam Virginem Mariam non θεόθοκον, ſed χριστοθόκον eſſe dicendam: quia ſcilicet ex ea non ille Chriſtus, qui Deus, ſed ille, qui erat homo, prognatus ſit. Quem confutare aggreſſus eſt Cyrillus Alexandrinus, hortarique, ut ab errore deſiſteret, edens duodecim capita adverſus ejus hæreſim. Qui Epheſum veniens ad Concilium œcumenicum, cùm monitus acquieſcere nollet, non ſolùm damnatus eſt, ac ſede dejectus, verùm etiam ſcripta illius omnia flammis exuri juſſa ſunt. Cùm autem quadriennio in Monaſterio S. Euprepij Antiocheno, pro agenda pœnitentia, demoraretur, majoréque obſtinaciâ animum induraret, denuò aggreſſus eſt impietatis dogmata cudere, ac publicare, ita ut neceſſe fuerit, & illa igne concremare, & ipſum in vaſtiſſimam Oaſenam ſolitudinem, *Petras* nominatam, relegare, ubi plurima perpeſſus, ob mutata ſæpius exilij loca, tandem lingvâ vermibus exeſâ, ac toto computreſcente corpore, miſerandum in modum extinctus eſt, anno Chriſti 436. Theodoſius verò anno ſuperiore, ut diſcordiarum diverſarum ſeminarium tolleret, ipſos Neſtorij

Digitized by Google

ſtorij libros damnans, illos ubique conquiri, ac comburi mandavit, ac ne quis deinceps legere, retinere, aut in diſputationibus allegare auderet, prohibuit, adhibitâ pœnâ publicationis bonorū &c.

His prælibatis dogmatibus, ſine quibus purus Philoſophus noſtrarum ratiocinationum vim intelligere vix poſſet, jam jam ad demonſtrationes inſinuati prodigij libentiſſimè, ſic diſcurrentes, deſcendimus.

§. 54.

APODIXIS.

QUa ſubſiſtentiâ ſpiritus mundi ſubſiſtit in Chriſto Domino? num propriâ? abſit hoc à filijs ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. *Nam ſi quis introducere conetur duas ſubſiſtentias, ſeu duas hypoſtaſes in myſterio Chriſti, anathema ſit*; ut ex 1. 2. & 3. conſtat anathematiſmis, nec non ex alijs, quæ prælibatæ ſunt, Eccleſiaſticis ſanctionibus. Spiritus ergo mundi in Chriſto divinâ Verbi ſubſiſtit ſubſiſtentiâ. hæc conſequentia non negabitur, niſi à Neſtorianis. Tunc ſic: Spiritus mundi realiter caret propriâ ſubſiſtentiâ, & divinâ ſubſiſtit in Chriſto? Mundus ergo viſibilis totus quantus eſt Chriſtus, ac proinde Deus. Hæc conſequentia ex principijs ſectæ contrariæ non ſolùm ſequitur, ſed coruſcat ſuper Solem.

§. 55.

In gratiam Pneumocoſmicorum (ut poſſint ſaltèm ad inſtans reſpirare, & ad ſuum Archæum recurrere, ab eoq; petere, an habeat aliam ſubſiſtentiam, præter illam, quam amiſit in Chriſto, propriam) negamus libenter conſequentiam, intra unum credo impugnandam evidenter.

CONTRA I.

SPiritus mundi (ut dictitant Pneumocoſmici in prima hypotheſi & 5. ultimo) eſt forma ſingularis, phyſicè ſimplex, ac proinde indiviſibilis, nec non immultiplicabilis per generationem, & incorruptibilis per corruptionē; atqui unius formæ creatæ ſimplicis, realitérque implurificabilis, unica eſt ſubſiſtentia, & hæc eſt ſimplicior

cior adhuc ex terminis ſubſiſtentialibus, quàm forma, à qua promanat, ut conſiderare licet in ſubſiſtentia animæ rationalis, quæ, quia actualior eſt ipsâ animâ, ſimplicior declaratur; ergo ſi ſemel privatus eſt realiter ſpiritus mundi in Chriſto propriâ ſubſiſtentiâ indiviſibili (ut ſupponere debemus contra Neſtorium) abſolutè perijt tota mundi ſubſiſtentia. Tota mundi ſubſiſtentia perijt? ergo veriſſimum eſt, quòd mundus totus quantus eſt hypoſtaticè unitus Verbo Dei: ergo Chriſtus eſt mundus viſibilis: ergo mundus viſibilis eſt Chriſtus. ergo Deus &c. ecce prodigiorum prodigium, quod in mentem Pneumocoſmicorum nunquam incidit.

II.

IMplicat, quòd ad nihilum redigatur ſpiritus mundi, qui eſt forma ſenſitiva, v. g. A. in Chriſto, quin in toto mundo, ob ſuam phyſicam ſimplicitatem, ſimul intereat & abſolutiſſimè, ita ut nihil in rerum natura de tali ſpiritu remaneat: ergo ſimiliter implicat, quòd ſubſiſtentia ſpiritûs mundi (qui, ob indiviſibilitatem naturalem, ſecundùm ſe totum in qualibet parte univerſi ſubſiſtit) realiter deſinat eſſe in Chriſto, quin pereat abſolutè in toto mundo. Antecedens adeò conſpicuum eſt, ut ſectarij maluerint reponere ſub accidentibus evchariſticis formam mundi ſimul cum corpore & ſangvine Chriſti, quàm credere converſam in corpus Chriſti, vel in nihilum miſſam; eò quòd ex converſione reali, vel annihilatione ſpiritûs realiter ſimplicis in una parte univerſi, ſequebatur evidenter, ſubſiſtendi conſequentiâ, deſitio & interitus illius in toto mundo. conſequentia eſt evidens, admiſſo antecedente: ſed admittitur: ergo &c.

III.

IMplicat, quòd Verbum Dei uniatur hypoſtaticè animæ rationali B. ut actu informanti caput Petri v. g. (qui eſt abſolutus microcoſmus ex hac numero materia A. & ex hac numero anima rationali B. phyſicè conſtitutus) & quòd non ſit unitus toti animæ, ut informanti totam materiam primam A. ex qua ipſe Petrus in eſſe primæ ſubſtantiæ conſtat unà cum forma: ergo ſimiliter implicat, quòd Verbum divinum uniatur hypoſtaticè ſpiritui macrocoſmi, ut informanti Chriſti corpus, quod eſt pars ipſius macrocoſmi, & quòd non uniatur toti ſpiritui mundi, ut informanti totam ſuam materiam primam, deliteſcentem ſub quantitate totius univerſi. conſequen-

quentia, à paritate microcoſmi cum macrocoſmo, eſt evidens. antecedens conſtat ex definitione ſubſiſtentiæ, quæ ſic traditur: *eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia.* rationalis naturæ? non ergo ſubſiſtentia eſt actus alicujus membri heterogenei hujus naturæ, ſed ipſius naturæ perfectæ in eſſe naturæ. ergo &c.

IV.

TAmetſi, per poſſibile vel impoſſibile, Verbum Dei uniretur animæ rationali Petri, ut informanti præcisè caput illius (ad quam quidem unionem Verbi divini cum anima Petri, prout in capite, neceſſariò aſſerenda eſt deſitio creatæ ſubſiſtentiæ animæ rationalis prout in capite, niſi velis cum Neſtorianis ſapere) & non uniatur eidem animæ, ut informanti reliquas microcoſmi Petrini partes (ad quarum etiam actualem informationem neceſſaria ſupponitur ejusdem animæ ſubſiſtentia propria, ſeu creata) nihiloſecius ſequeretur, quòd in illo Chriſto eſſent duo ſuppoſita, unum divini Verbi, quod redderet incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito ſuâ terminatione totam animam rationalem Petri, quæ, quia ſpiritualis, eſt tota in toto, & tota in capite. & alterum Petri, quod eandem animam terminaret in reliquis microcoſmi membris. Vel è converſò ſequeretur; quòd in illo Petro erant duo ſuppoſita, divinum unum, alterum humanum: ergo etiamſi ſpiritus mundi non ſit unitus hypoſtaticè niſi prout in Chriſto, hoc non tollit, quò minus macrocoſmus duplici terminetur ſubſiſtentiâ, nimirum divinâ, & propriâ. Vel è converſo, hoc non obeſt, ut in Chriſto duo aſſerantur ſuppoſita, aliud divinum, macrocoſmi aliud: ſed hoc dogma hæreticum eſt. ergo &c.

V.

DAto, non conceſſo, quòd in Petro eſſent duo ſuppoſita, videlicet divinum & humanum (quamvis, ob diſtinctionem realem ſuppoſitorum, non poſſemus unum de altero mutuò prædicare, dicendo: Petrus eſt Chriſtus: vel Chriſtus eſt Petrus, ut contingit etiam in SS. Trinitate, in qua non licet dicere: Pater eſt filius, vel è converſo) nihilominus propter identitatem unius perfectæ humanitatis in utroque, vel alijs terminis: propter numericam unitatem hujus animæ rationalis B. in hoc numero corpore

A, in

A. in Chriſto & Petro, deberemus dicere: tota humanitas Petri eſt unita hypoſtaticè Verbo Dei, ac proinde Petrus ſecundùm humanitatem ſuam eſt phyſicè unum cum Chriſto, & è converſo. ſicut etiam in divinis propter identitatem ejusdem numero naturæ in tribus Perſonis, eſt verum dicere, filius eſt realiter unum cum Patre, juxta illud Joannis: *ego & pater unum ſumus*, ſcilicet in natura; ergo pariter, diſputationis gratiâ admiſſo, quòd Verbum Dei uniretur ſpiritui mundi, præcisè ut conſtituenti hanc humanitatem, quæ de facto eſt in Chriſto, ſequeretur, duo ſuppoſita eſſe in illo, unum divinum, alterum humanum, ſeu alterum macrocoſmi, ut ſenſificantis hanc materiam, & ut ſimul conſtituentis hanc Chriſti humanitatem. ſed hoc eſt dogma Neſtorij. ergo &c.

V I.

SUppoſitâ ſectariorum primâ hypotheſi, nec non paragrapho ultimo, in quo ipſi ſupponunt, quòd anima mundi eſt tota in toto ob ſuam ſpiritualitatem indiviſibilem, quis nos prohibere poteſt ab iſto ratiocinio? totus ſpiritus mundi, ut ſenſitivus, eſt in Chriſto hypoſtaticè unitus: ergo totus ſpiritus mundi eſt Chriſtus, ac proinde Deus. conſequentia ex eo patet, quia in triduo mortis Chriſti Domini, non obſtante ſeparatione animæ ejus ſanctiſſimæ à corpore, tam de anima, quàm de corpore, ſeorſim ſumptis, erat verum dicere: hæc anima hypoſtaticè unita eſt Chriſtus: hoc cadaver eſt Chriſtus: antecedens ſupponitur: ergo totus ſpiritus mundi eſt Chriſtus. ergo totus mundus &c.

V I I.

NOn ſolùm eſt de fide, quòd in Chriſto eſt tantùm una divina ſubſiſtentia, ſed etiam quòd non ſunt niſi duæ naturæ, nimirum divina & humana: atquì ſi ſpiritus mundi eſt in Chriſto, non duæ tantùm, ſed tres naturæ, ſunt in illo: ergo &c. Probatur major quoad ſpiritum mundi: ſpiritus mundi, independenter à divina hypoſtaſi, & myſterio incarnationis, conſtituit cum materia macrocoſmi unam perfectiſſimam naturam, quæ eſt hæc prima ſubſtantia, quæ de facto exiſtit: ſed quod naturaliter perfectum eſt, & in genere eſſentiæ, & in genere naturæ, & in ratione hujus numero ſubſtantiæ primæ & individuæ, non fit imperfectum per productionem animæ rationalis particularis, nec per unionem

nem hypoſtaticam cum tali anima: ergo ſpiritus mundi, prout in Chriſto, retinet conceptum phyſicum ſuæ naturæ perfectæ, & maximè cùm ſit inſeparabiliter unitus materiæ primæ (ut dicunt ſectarij) tanquam comparti macrocoſmi eſſentiali. hæc conſequentia liquet ex eo, quòd aſſumptio non deſtruit totalitatem naturarum, ut patet in humanitate abſolutè conſideratâ. Minor etiam, quoad divinam naturam, ut certa ſupponitur: ecce jam duas naturas perfectas in Chriſto, ſcilicet divinam & mundanam: non ergo datur locus, ut anima rationalis ſit in Chriſto: hæc conſequentia patet, quia anima rationalis ſpecie differt à ſpiritu mundi, qui cum ſua materia macrocoſmi unam perfectam conſtituit naturam, ac per conſequens, ſi ponatur in Chriſto anima rationalis, erunt jam tres naturæ (duæ abſolutè perfectæ, nimirum divina & ſenſitiva caro,& tertia imperfecta,ſcilicet anima rationalis) quod eſt omnino falſum. Deinde: ſalvatur anima rationalis,ſine ſpiritu mundi, cum ſua propria ſubſiſtentia, ut patet in animabus ſeparatis; & mundus etiam præexiſtit cum ſuo ſpiritu adæquatè, in eſſe hujus naturæ, independenter à particulari omni anima: non ergo ex eis fit una natura humana: ergo ſunt tres in Chriſto naturæ, ſi ſpiritus mundi eſt in illo: ſed hoc eſt contra fidem: ergo &c. Huc ſpectant Alexandri decret. verba; *ex ſola anima rationali & corpore &c.*

VIII.

HIc viſibilis mundus unicâ conſtat formâ ſubſtantiali phyſicè indiviſibili, & viâ generationis improducibili: ergo unicâ ſubſiſtentiâ. antecedens eſt ſectariorum. conſequentia patet: implicat enim multiplicatio ſubſiſtentiarum, ſublatâ de medio generatione ſubſtantiali &c. ex his ſic concludimus: ergo exceptis Angelis, tam bonis, quàm malis, non dantur in rerum natura niſi quatuor ſuppoſita, ſcilicet DEUS Pater, & DEUS Filius, & DEUS Spiritus Sanctus, & Dominus Macrocoſmus. Probatur conſequentia: ſi aliqua reſtarent ſuppoſita, maximè animæ rationales per ſe ſubſiſtentes in ſtatu ſeparationis: atquì hæ ſine corpore, ſenſificato à ſpiritu mundi, non ſunt naturæ perfectæ, ac proinde nec ſuppoſita, de quibus prædicetur directè & abſolutè perſonæ definitio: non ergo ſunt, niſi quatuor recenſita ſuppoſita. Tunc ſic: Exceptis Angelis & SS. Triados hypoſtaſibus, unum eſt ſuppoſitum in rerum na-

tura, ſcilicet Macrocoſmus: ergo unica eſt ſubſtantialis natura completè completa. antecedens eſt certiſſimum ab unitate formæ ad unitatem ſubſiſtentiæ. Conſequentia verò hæc à ſectarijs non negabitur: quòd ex materia totali mundi & ex ſpiritu ejus tantùm reſultat hæc natura A. ſeu hic mundus numeris omnibus abſolutus, ac proinde macrocoſmus. Bene: unica eſt ſubſtantia individua in tanta mundi mole? unica eſt natura perfectè perfecta? unica ſubſiſtentia? ita. ergo cùm ſit de fide, quòd duæ ſunt in Chriſto naturæ perfectæ, ſcilicet divina & creata, à ſufficiente partium enumeratione evidenter ſequitur, quòd totus mundus ſit Chriſtus, quòd totus mundus ratione unionis hypoſtaticæ ſit Deus. ſequela hæc ulteriori probatione non indiget, ſed novâ Hermeticorum admiratione.

IX.

SI divinum Verbum uniretur hypoſtaticè huic viſibili macrocoſmo (prout diſputabilis repræſentatur ſectarijs) illi procul dubio negare non poſſent tunc, ſine incredulitatis crimine, equum, Murem, & reliqua viventia ipſo facto eſſe Chriſtum: cujus tanti myſterij & tam univerſalis beneficij ratio à priori eſſet: quia cùm non eſſet, niſi una forma ſubſtantialis in cunctis, ac proinde unica ſubſiſtentia, hac de medio ſublatâ, neceſſariò ſequeretur per locum ab intrinſeco, quòd divinâ cuncta univerſi ſubſiſterent. atquì de facto unica vita mundi, v. g. A. in cunctis eſt elementis atque animantibus: ergò cùm hæc eadem numero vita A. ſit in Chriſto hypoſtaticè unita (ut ſupponimus contra Neſtorium) ac per conſequens ſine propria ſubſiſtentiâ, evidenter concluditur, quòd omnia, quæ in mundo ſunt, tam ratione ſuppoſiti, quàm formæ ſpiritualis, ſeu vitæ mundi, ſunt realiter idem cum Chriſto, vel alijs terminis: quòd omnia ſunt unus Chriſtus, qui eſt Deus benedictus in ſæculorum ſæcula. Denique hæc propoſitio in ſecta Pneumocoſmicorum ſine lite debet eſſe vera: Spiritus mundi A. qui realiter vivificat muſcam, eſt idem numero, qui eſt hypoſtaticè in Chriſto unitus. Nunquid non hoc eſt Portentum ſingulariſſimum? quid plura?

Antequam decimum ratiocinium producamus, ſcire oportet.

§. 56.

§. 56.

An Verbum divinum in aſſumptione humanitatis aliquam hypoſtaſin deſtruxerit?

Deciſio Angelica.

PRoprie dicimus (dictat Angelicus Præceptor) *Deum factum eſſe hominem; non autem proprie dicimus, quod homo factus ſit Deus, quia ſcilicet Deus aſſumpſit ſibi id, quod eſt hominis; non autem praeextitit id, quod eſt hominis, quaſi per ſe ſubſiſtens antequam ſuſciperetur à Verbo. ſi autem caro fuiſſet concepta, antequam ſuſciperetur à Verbo, habuiſſet aliquando aliquam hypoſtaſin, præter hypoſtaſin Verbi Dei, quod eſt contra rationem incarnationis, ſecundum quam ponimus Verbum Dei eſſe unitum humanæ naturæ, & omnibus partibus ejus in unitate hypoſtaſis. Nec fuit conveniens, quod hypoſtaſin praexiſtentem humanæ naturæ, vel alicujus partis ejus Verbum Dei in aſſumptione deſtrueret. * & ideo contra fidem eſt dicere, quod caro Chriſti prius fuerit concepta, & poſtmodum aſſumpta à Verbo.* D. Th. p. q. 33. a. 3. in O. & 4. cont. Gent. cap. 43. 44. &c. NB.

§.

Ejusdem doctrinæ confirmatio.

CUm autem Verbum (confirmat idem D. Thomas) *naturam humanam aſſumpſit in unitate Perſonæ, ut ex dictis jam patet, oportuit, humanam naturam non praexiſtere, antequam Verbo uniretur. ſi enim praexſtitiſſet, cùm natura praexiſtere non poſſit, niſi in individuo, oportuiſſet eſſe aliquod individuum completum illius humanæ naturæ praexiſtentis ante unionem: individuum autem humanæ naturæ completum eſt hypoſtaſis & perſona: erit igitur verum dicere, quod humana natura aſſumenda à Verbo, in aliqua hypoſtaſi, vel perſona praexſtitiſſet. ſi igitur natura illa aſſumpta fuiſſet, manente priori hypoſtaſi vel perſonâ, remanſiſſent tunc poſt unionem duæ hypoſtaſes, vel perſonæ: una Verbi, alia hominis. & ſic non eſſet facta unio in hypoſtaſi vel perſona, quod eſt contra ſententiam fidei. Si vero hypoſtaſis, vel perſona illa non remaneret in ea natura, in qua aſſumenda à Verbo, praexſtitiſſet, hoc ſine corruptione accidere non potuiſſet. Nullum enim ſingulare deſinit eſſe hoc, quod eſt, niſi per corruptionem. ſic igitur oportuiſſet illum hominem corrumpi, qui uni-* D. Th. 4. cont. Gent. cap. 43.

oni praexſtitiſſet, & per conſequens humanam naturam in eo exiſtentem. NB. *Impoſſibile igitur fuit, quòd Verbum aſſumeret aliquem hominem praexiſtentem, vel formalem partem ejus, &c.* ergo ſpiritus mundi ut vegetativus, & ſenſitivus non fuit aſſumptus à divino verbo: patet conſequentia: quia is propriam præhabebat ſubſiſtentiam: ergo &c.

§.

Proponitur Cavillus ad pleniorem dicendorum intellectum.

UBicunque eſt prius & poſterius, oportet eſſe plura inſtantia: ſed ſecundùm Philoſophum lib. 2. de generatione animalium cap. 46. tom. 4 in generatione hominis requiritur prius & poſterius: prius enim eſt vivum, & poſtea animal, & poſtea homo: ergo non potuit animatio Chriſti perfici in primo inſtanti ſuæ conceptionis. ergo &c.

Satisfactio Doctoris Angelici.

3. p. q. 33 a. 2. ſolut. ad 3. I*N generatione aliorum hominum* (reſpondet divinus Doctor) *locum habet, quod dicit Philoſophus, propter hoc, quòd ſucceſſivè corpus formatur, & diſponitur ad animam unde primò tanquam imperfectè diſpoſitum, recipit animam imperfectam: & poſtmodum, quando perfectè eſt diſpoſitum, recipit animam perfectam. Sed corpus Chriſti, propter infinitam virtutem agentis, fuit perfectè diſpoſitum in inſtanti, unde ſtatim in primo inſtanti recepit formam perfectam, id eſt, animam rationalem.* Hæc divinus Thomas.

§. 57.

Quid dictat S. Mater Eccleſia?

IN ſexta Synodo generali act. 11. definitum eſt, quòd in incarnatione Verbi, deitas non eſt copulata carni ante exiſtenti. imò nec per ictum oculi caro Chriſti fuit priùs concepta & ſubſiſtens, quàm aſſumpta.

Idem docet Anaſtaſius Papa in fragmento epiſtolæ, quæ habetur in 2. tomo Conciliorum, ubi ſic: Ut ut beata Virgo pronuntiavit illa verba: *ecce ancilla Domini &c. & conceptio carnis, & infuſio animæ, & aſſumptio fuerunt abſoluta.* Idem

Idem dictavit Leo Papa ſermon. de nativitate. Idem Noſter Joannes Damaſcenus lib. 3. cap. 2. ubi ſic: *ſimul caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata animâ rationali &c.* Idem S. Cyrillus in anathematiſmo 5. in quo traditur, quòd ſi caro Chriſti præexſtitiſſet, & ſubſtitiſſet, antequam copularetur Verbo, Verbum non eſſet carnaliter conceptum, & genitum ex Beata Virgine, ſiquidem jam præceſſerat carnis conceptio, & generatio. Ex ſecta Pneumocoſmicorum ſequitur, Verbum non fuiſſe incarnatum ex Maria Virgine? Verbum caro factum eſt! unde firmiſſimè (inquit Auguſtinus) tene, & nullatenus dubites, carnem Chriſti non priùs fuiſſe conceptam ex Virgine, quàm à Verbo aſſumptam. Verbum Dei (concludit Leo Papa) carnaliter eſt conceptum & generatum ex Beata Virgine. ſicque dicit articulus fidei: *qui conceptus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* His igitur præmiſſis;

lib. de fide ad Petrum c. 18. in principio tom. 3.

§.
10. Profertur ratiocinium Analyticum.

SPiritus mundi, qui ut forma ſubſtantialis, ſenſificat Chriſti corpus, ſubſtitit ab initio mundi uſque ad illud *fiat mihi ſecundum verbum tuum*, propriâ ſubſiſtentia, poſtea verò divinâ (niſi Neſtoriani eſſe velimus) *atqui eſt contra rationem incarnationis, ejusq; perfectionem, hypoſtaſin praexiſtentem humanæ naturæ, vel alicujus partis ejus* (qualis eſt hypoſtaſis ſpiritus mundi, qui eſt pars eſſentialis conſtitutiva humanitatis, ut conſtat ex tertia ſectariorum hypotheſi) *vel aſſumere, vel deſtruere; & ideò contra fidem eſt dicere, quòd caro Chriſti priùs ſubſtiterit, ſeu fuerit concepta, quàm à Verbo aſſumpta*: ergo contra fidem eſt aſſertio ſpiritûs mundi, quanquàm rationalis ſubſtantia ille non ſit. Major hujus apodixis admittitur à ſectarijs, ut ex dictis patet. Quòd non ſubſiſtat in Chriſto propriâ ſubſiſtentiâ, eſt certum ſecundùm fidem, ut inſinuavimus: minor tota eſt Angelici Doctoris, nec non de fide. conſequentia ſecundùm bonam fidem debet admitti. Ubi eſt ergo ſpiritus mundi, quisquis ille ſit? ex his tandem ſequitur, quòd.

Digitized by Google

§.

Si datur Spiritus Mundi:

IMmaculata Virgo MARIA non manſit intemerata in conceptione divini Verbi, quod eſt contra attributa ipſius Deiparæ, & ſenſum totius Eccleſiæ Catholicæ.

Ad probationem ſequelæ præmittitur Veritas Catholica.

IN ſexta Synodo generali act. 11. definitum eſt, ex inviolabili & Virgineo ſangvine ſanctæ atque intemeratæ Virginis Mariæ Verbum Dei verè factum eſſe carnem. Hac veritate ſuppoſitâ, petimus obiter, an ſangvis ille Marianus, ex quo formatum eſt ſacroſanctum Chriſti corpus, fuerit actualis pars corporis Virginei, vel potentiâ tantum?

§.

Deciſio Doctoris Angelici.

3. p. q. 31. a. v. ſolut. ad 1. C*Um Beata Virgo* (dictat Angelicus Magiſter) *fuerit ejusdem naturæ cum alijs fœminis, conſequens eſt, quòd habuerit carnem & oſſa ejusdem naturæ. Carnes autem & oſſa in alijs fœminis ſunt actuales corporis partes, ex quibus conſtituitur integritas corporis, & ideò ſubtrahi non poſſunt, ſine corruptione corporis, vel diminutione, Chriſtus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionem integritati matris ejus inferre debuit. & ideò non debuit corpus Chriſti formari de carne, vel oſſibus Virginis, ſed de ſangvine, qui nondum eſt actu pars, ſed potentiâ totum, ut dicitur in lib. de generatione animalium. & ideò dicitur, carnem de Virgine ſumpſiſſe: non quòd materia corporis ejus fuerit actu caro, ſed ſangvis, qui eſt potentiâ caro, non verò actualis pars.* his præmiſſis.

§.

APODIXIS II.

In medium producitur.

SAngvis Virgineus, ex quo formatum eſt virtute Spiritûs ſancti corpus Chriſti, actualiter informabatur ſecundùm ſectam Pneumo-

mocoſmicorum eadem formâ ſenſitivâ, qua totum corpus Marianum: ergo ſangvis ille erat actualis pars corporis Virginei tam pro materiali, quam proformali. Conſequentia hæc eſt clarior Sole: antecedens Pneumocoſmicorum. quod autem ex ſangvine fuerit formatum corpus, eſt Eccleſiæ definitio; atquì actualis pars, ex qua conſtituitur integritas corporis, ſubtrahi non poteſt, ſine corruptione corporis, vel ejus diminutione; ergo neque ſangvis Marianus ſubtrahi potuit ſine corruptione & diminutione proprij corporis. conſequentia hæc ex minori ſubſumpta legitimè infertur. minor eſt per ſe nota. Non ergo Maria Sanctiſſima intemerata manſit in conceptione divini Verbi, ſeu integra & incorrupta. hæc ex dictis liquet conſequentia, quæ in mentem Pneumocoſmicorum nunquam venit.

§. 58.

EXordium refertur Colloquij Theoriani Orthodoxi cum Armeniorum Generali Catholico, ex quo conſtabit conſonantia doctrinæ Ariſtotelicæ cum Chriſtologia SS. Patrum Baſilij, Chryſoſtomi, Athanaſij, Gregorij Niſſeni, Gregorij Theologi, Ephremi, Cyrilli & aliorum: ſimulque explicabitur Pneumocosmicis, qualis ſit diſtinctio inter naturam & Perſonam, ſubſtantiam & hypoſtaſin.

Imperatorium Diploma miſſum ad Reverendiſſimum & Religioſiſſimum Generalem Armeniorum.

ANno ab Orbe condito VICIↃ IↃCLXXVIII. imperij piiſſimi & Chriſtiani, & divinitus coronati Manuelis in Porphyra nati, Commeni, decimo & octavo, indictione tertia, die 15. Menſis Maij, adjuvante nos Deo, limites Romanorum attigimus. cumq; Generali Armeniorum Domino Norſeſi prepotentis & tanti Imperatoris Noſtri nomine ſalutem dixiſſemus: datas ad ipſum Imperatorias ſacras literas ei reddidimus, expoſitâ ſimul benignâ voluntate, quam erga ipſum Prepotens & Sanctus Imperator Noſter gereret. & quod maximo deſiderio tam ipſius, quàm ſubditorum ejus unionem cum ſancta, univerſa & Apoſtolica Eccleſia expetens, nos minimos ſervos ſuos tam longo locorum ex intervallo & adeò duro itinere ad ipſius inſignem ſanctitatem ablegaſſet.

QUI-

Digitized by Google

QUIBUS GENERALIS.

AGimus Imperatori Sancto gratias, quòd & noſtri curam gerat, minimorum ex ijs, qui pro ſancto ipſius imperio preces fundunt, & quòd Orbis univerſi curas ſuſtinens, noſtri quoque non ſit oblitus.

Reſponſio Literarum.

POſteaquam datas ad me Imperatorias & ſacras ordinati, coronatiq; divinitus, & pijſſimi Imperatoris literas perlegi, tam ipſius, quàm Sanctæ Romanorum Eccleſiæ voluntatem perſpexi: quòd videlicet, ſi noſtros contra fidem orthodoxam errores corrigere velimus, paratus ſit & Sanctus Imperator, & Sancta generalis ac Apoſtolica Eccleſia Romana nos tanquam fratres recipere. Volumus ergo doceri, quænam illa ſint, in quibus nos adversùs fidem aberremus. ac ſiquidem ex inſtituto canonum per ſacrarum literarum & conſentaneas demonſtrationes convicti fuerimus, emendationem illam alacriter acceptabimus. Hæc præmiſimus, ut conſtaret, à quo, ad quem, & propter quid miſſus fuerit Theorianus.

§. 59.

Quid ſubſtantia, quid hypoſtaſis, & quodnam inter utramq; diſcrimen?

Theorianus.

SAncti Patres, infra referendi, gubernati divinitus, ſubſtantiam & naturam eſſe univerſalia dicunt, quæ ſcriptores exteri (citat Ariſtotelem in categor.) *ſpeciem vocarunt. Quapropter in Sacro ſancta Trinitate naturam unam & unam ſubſtantiam, hypoſtaſes verò tres tradiderunt, naturâ nimirum & ſubſtantiâ plures hypoſtaſes continente. Hominum quidem certè natura cùm una ſit, infinitas habet hypoſtaſes, puta Petrum & Paulum, & homines ſingillatim univerſos. Ariſtoteles autem primam ſubſtantiam, ſeu individuum, & unum numero, ſive hypoſtaſim, propriè ſubſtantiam definijt, his verbis uſus: ſubſtantia, quæ proprijſſimè primúmq; ac maximè ſic dicitur, eſt, quæ neq; de ſubjecto quodam dicitur, neq; in aliquo ſubjecto eſt, velut hic homo, vel hic equus.*

Ariſtot. in categor. cap. de ſubſtantia.

GENERALIS.

NOs quoque ſubſtantiam ſecundam & naturam de univerſalibus accipimus: perſonam verò & hypoſtaſin de ſingularibus.

THEORIANUS.

MActè animo beatiſſime Pater, ob hanc ſatisfactionem, qui & hac in parte cum SS. Patribus conſentis. Quid igitur? horumne finitiones ac declarationes exponemus, an ſolùm hoc nobis ſufficiet, quòd ſubſtantia ſpecificè ſumpta & natura quiddam univerſale ſunt, hypoſtaſis & perſona ſingulare?

GENERALIS.

Si tibi moleſtum non erit exponere, lubens equidem audiam.

THEORIANUS.

Nihil ergo meum proferam, ſed quidquid ipſa nos Eccleſiæ Lumina docuerunt:

GENERALIS.

Idem & ipſe cognoſcere geſtio, quid nimirum Eccleſiæ Doctores tradiderunt.

§. 60.

Quid ſit per ſe ſubſiſtere?

Theorianus.

SUbſtantia primùm & propriè eſt quidquid per ſe ſubſiſtit, nec eſſe ſuum habet in alio. quid autem id, quod per ſe ſubſiſtit? quod per ſe eſt, ac non propter aliud, vel in alio ſuum eſſe habet: hoc eſt, quod non eget alterius alicujus extra ſe adhoc, ut exiſtat, quale quiddam eſt color, puta niger, aut albus: quæ per ſe nequeunt exiſtere ſine corpore, quod ea recipiat. ac propterea colorem non dicimus eſſe ſubſtantiam. ipſum verò corpus, cui color ineſt, ad hoc coloris haud indiget, ut corpus ſit. imò, mutatis coloribus, ipſum non mutatur. Nam ex albo nigrum fit, ex nigro flavum, aliumve colorem induit: ipſum verò ſemper id, quod eſt, manet. itaq; propter corpus color eſt, ut id colore tingat: non autem corpus propter colorem, ſed ex ſe ipſo. Color itidem in corpore ſuum eſſe habet, corpus *definitio ſubſtantiæ in communi.*

Digitized by Google

autem non in colore, ſed in ſe ipſo exiſtit: eam ob rem corpus ſubſtantiam vocamus, quùm per ſe ipſum ſubſiſtat, & in ſe ipſo, non in alio ſuum eſſe habeat. quidquid ergo per ſe ſubſiſtit, & in ſe ipſo, non in alio exiſtit, eſt ſubſtantia. Sunt autem hæc vel ex materie, vel expertia materiei: materialia ſunt, terra, aqua, aër, ignis, & res ex his compoſita, lapis, arbor, corpus animatum & inanime. Expertia materiei, anima ratione prædita, & Angelus. Hæc igitur, uti modo ajebam, ſubſtantia dicuntur. quippè Deus ultraſubſtantialis eſt, ſupra omnem poſitus eſſentiam, & ſi quid his etiam ulterius. atq; hoc modo jam cognitum habemus, quid ſubſtantia ſit.

Diviſio prædicamentalis ſecundum Ariſtotel. categoriam.

§. 61.

Quid Natura ſit.

§.

N*Atura* (proſequitur Theorianus) *eſt horùm cujuſq; rei jam recenſitorum motûs & quietis principium, quatenus in ipſis primis* (*ſcilicet ſubſtantijs*) *exiſtit, non ſecundùm accidens. v.g. terra quidem movetur, quatenus germina producit & fœtus, omninóq; alteratur, quatenus ſecundùm hæc ipſa in id mutatur. ſed eadē quieſcit, quod ad tranſitionem de loco ad locum attinet, omnino immobilis, & itineris expers. itaq; motûs & quietis hujuſmodi principium, quod terra ſubſtantialiter ineſt, nec ex cauſa quadam acceſſit, naturam vocamus. Ipſum verò natura nomen ab naſcendo factum eſt, id eſt, ab exiſtendo, quo fit, ut ſubſtantia naturaq; nomen idem ſignificet, utrumq; deductum à verbis paria denotantibus. & exiſtendi ſignificationem habentibus. nec tantùm nomine tenus idem eſt ſubſtantia & natura, ſed etiam re, aut ſaltem proximum quiddam, non enim motum ipſum, & quietem rerum naturam eſſe dicimus: ſed principium, hoc eſt, cauſam, ſecundùm quam non accidentariè, ſed ſubſtantialiter moventur, & quieſcunt ſubſtantia.*

§. 62.

Quid hypoſtaſis?

H*Ypoſtaſis autem* (proſequitur Theorianus) *eſt res exiſtens ſubſtantialis, in qua congeries accidentium, tanquam in uno ſubjecto, re & effectu exiſtit. Itaq; ſubſtantia eſt ipſa res, quæ exiſtit: hypoſtaſis*

ſtaſis verò, tum id, quod exiſtit, tum quæ in eo veluti per accidens conſiderantur: at perſona eſt id, quod per actiones & proprietates ſuas manifeſtum & diſtinctum ab alijs ejusdem naturæ conſortibus indiciũ ſui præbet, veluti Michaëlus Angelus, quùm de corpore Moyſis adversùs Diabolum diſceptabat, & quùm divina Danieli oracula pandebat. itaq; cognitio alicujus, quam ex effectu conſequimur, ut ejus effectus authorem, perſonam vocemus, docet. atq; hoc nomen à cognitione, quæ ſenſu fit, ad eam, quæ fit mente, translatum eſt. cùm enim ſingulos homines per adſpectabilem vultuum cujusq; formam ex oculorum intuitu reliquis ab hominibus ſecernamus, idcirco & id, quod per actiones & proprietates ſuas ab ejusdem ſubſtantiæ conſortibus ſejungitur, perſonam adpellavimus. atq; hæc perſonæ deſcriptio eſt. videtur autem quodammodo idem ſignificare, quod hypoſtaſis, aut parum aut nihil differre. His præcognitis, idem nimirum eſſe ſubſtantiam, quod naturam, idem hypoſtaſin, quod perſonam: quæcunq; de ſubſtantia dicentur, aptanda naturæ, & quæcunq; de hypoſtaſi, perſonæ.

GENERALIS.

SAnè quàm eruditè Patres hæc definierunt, & perſpicuè declararunt. ſed equidem & authoritates ipſorum, dictaque requiro, ut quo pacto hæc de Deo pertractantes accipiant, intelligam. & nos quoque juxta ſcopum eorum colloquium hoc inſtituamus.

§.
THEORIANUS.

FIat id quoq;, quando ſic tibi videtur, ad eóq; prodeat in medium doctiſſimus reapſe divus ille Baſilius. Nam ejus ſcribentis ad Terentium hæc verba ſunt: non idem eſſe, de Deo quùm loquimur, ſubſtantiam & hypoſtaſin: etiam ipſi, meâ quidem opinione, fratres occidentales indicarunt. nam linguæ ſuæ anguſtiam reveriti, ipſum uſiæ nomen linguâ græcâ repoſuerunt, ut ſi quod in ſenſu diſcrimen eſſet, id ei perſpicuâ, miniméq; confusâ vocum diverſitate ſalvum eſſet. ſi tamen & nobis indicanda paucis noſtra eſt opinio, dicemus, eam ſubſtantiæ rationem eſſe ad hypoſtaſim, quæ rei communis eſt ad peculiarem. Nam quisq; noſtrum ex communi ratione ſubſtantiæ particeps eſt eſſentiæ, & ob peculiares ſibi proprietates hic vel ille eſt. ſic & ibi ſubſtantiæ quidem ratio communis in-

Digitized by Google

telligitur, ut bonitas, divinitas, aut ſi quid aliud: hypoſtaſis verò in proprietate Paternitatis, aut facultatis ſanctificantis cernitur. hæc ex Baſilio.

Ejusdem Baſilij authoritate idem confirmat Theorianus.

S*ubſtantia & hypoſtaſis* (ſcribit divinus Baſilius ad Amphilochium Sanctiſſimæ Leonienſis Eccleſiæ Lunien) *ita differunt, uti commune ac ſingulare, puta, quæ animalis eſt ad unum aliquem hominem ratio. Propterea ſubſtantiam divinitatis unam confitemur, ut eſſentiæ ratio minimè diverſa reddatur. hypoſtaſin verò ſingulare quid dicimus, ut in confuſa nobis & explicata de Patre, Filio, Sanctóq; Spiritu ſit notio &c. Qui verò ſubſtantiam & hypoſtaſim idem eſſe dicunt, perſonas ſaltem diverſas fateri coguntur, ac dum tres hypoſtaſes dicere recuſant, Sabellij ſcelus non evitare deprehenduntur.* Idem ſcribit Baſilius ad Euſtathium Cæſarienſem in expoſitione peculiari, quam de fide compoſuit.

I I.

Idem confirmat authoritate S. Gregorij Nazianzeni.

Q*uid ſi* (proſequitur Theorianus) *de alijs quoq; ſanctis hominibus teſtimonia ſuppeditanda ſunt, magnus ille divinis in rebus Gregorius prodeat, cujus in libro de Theologia primò hæc ipſa verba ſunt: medium quum dico, veritatem intellige: ad quam ſolam ſi reſpiciamus, & pravam illam contractionem, abſurdioremq; hanc etiam diviſionem vitabimus, rectè faciemus: ut non ad unam hypoſtaſim oratio noſtra cogatur. idq; hoc ſolo metu, ne Deos plures conſtituamus, ex quo fieret, ut nuda nobis nomina relinquerentur, exiſtimantibus: Patrem & filium & Spiritum ſanctum eundem eſſe. Omnino Deum unum retineamus neceſſe eſt, & tres hypoſtaſes, ſive tres Perſonas eſſe profiteamur, ſervatâ etiam uniuscujusq; proprietate.*

I I I.

Idem authoritate ejusdem Sancti in oratione, quâ laudat Athanaſium, confirmat Theorianus.

Q*Uum enim* (ait Nazianzenus) *una ſubſtantia & tres hypoſtaſes à nobis piè dicerentur, quòd alterum divinitatis naturam, alterum*

tum perſonarum trium proprietates declaret: ac ſimili quidem modo ab Italis intelligerentur: verùm ob lingva illius anguſtiam, verborúmq; inopiam, hypoſtaſin ab eſſentia diſtingvere non poſſunt: eáq; de cauſa in illius locum perſonarum induxiſſent nomen, ne tres ſubſtantiæ admitterentur. Idem docet Nazianzenus in orat. de luminibus. idem in oratione quâ pacem compoſuit, & alibi ſæpe.

GENERALIS.

DE ſubſtantia & natura, de hypoſtaſi & perſona conſentimus, nulla penitus in re diſſidentes: nam illa priùs etiam, quàm abs te dicerentur, intelligebamus, ſed ex ore tuo lubebat audire, quænam ex his veſtra eſſet ſententia. Nunc ergo dicito, quisnam SS. Patrum duas naturas in Chriſto poſt unitionem ſtatuerit? Hoc parum refert ad noſtrum argumentum, idcirco Generalem cum Lectore remittimus ad S. Athanaſium epiſtola ad Epitectum Corinthi Epiſcopum. Cyrillum Epiſcopum Alexand. in epiſt. ad Succesſum. Gregorium Niſſen. in lib. ad Simplicium. Chryſoſtom. in epiſt. ad Timoth. Baſilium adverſus Eunomium. S. Ambroſium in epiſt. ad Apollin. & lib. 7. epiſtolar. cap. 47. ad Sabinum Epiſcop. Juſtinum Martyr. lib. de Trinit. cap. 17. denique ad Concilium Calcedonenſe, &c.

§. 63.

Quid S. Joannes Damaſcenus de ſubſtantia & natura, hypoſtaſi & individuo ediſſerit?

QUidam Philoſophi (dictat Noſter S. Joannes Damaſcen. cap. 11. ſuæ Dialecticæ) *diſtinxerunt ſubſtantiam à natura, forma, perſona, individuo, & hypoſtaſi, dicentes ſubſtantiam, quod ſimpliciter eſt; naturam autem ſubſtantiam ſpecificatam à ſubſtantialibus differentijs ſimpliciter, & taliter eſſe habentem, ſive ea fuerit rationalis, vel irrationalis, mortalis, vel immortalis: ſed particularius exiſtens vocarunt hypoſtaſin, perſonam in homine. Sancti tamen Patres hanc battologiam prætermittentes, ſpecialiſſimas ſpecies ſubſtantiam & naturam & formam, ut Angelum, hominem, equum, canem &c. quia & ὀυσία, id eſt, ſubſtantia, quæ ab εἶναι fit, id eſt, eſſe* & φύσις, id eſt, natura, quæ à πεφυκέναι, idem ſunt: *quia εἶναι & πεφυκέναι idem ſunt. Particu-*

Digitized by Google

ticulare autem vocarunt individuum, & perſonam, & hypoſtaſin, ut Petrum, & Paulum. hypoſtaſis vult habere ſubſtantiam cum accidentibus, & ſecundùm ſeipſam ſubſiſtere, & ſenſu, id eſt, actu conſiderari. Nec fieri poteſt, ut duæ hypoſtaſes non differant accidentibus, & numero. hactenus noſter Damaſcenus.

§. 64.

Quid alij communiter tradunt?

GRæci ὑπόστασιν dixerunt ſubſiſtentiam pro ea ſubſtantia, in qua aliud inſidet, à verbo ὑφιστάω, id eſt, ſuſtineo. Hiſichius πρόσωπον, id eſt, faciem, id, quod videri, vel cognoſci per proprietates ſubſtantiæ attributas poteſt, vel quædam nota ſubſtantiæ manifeſta. Nam & idem Hiſichius ait: πρόσωπον ἐστὶ συνδρομὴ ἰδιωτήτων, τῆλων: Proſopon, vel facies, eſt concurſus proprietatum ὑπόστασις itaque erit idem, quod ἰδιώτης, & id, cui aliquid unitur, & certitudo quædam. ſic etiam apud S. Paulum ad Hebræos cap. 3. & 11. ἡ πίστις ἐστὶ ὑπόστασις ἐλπιζομένων. id eſt, fides eſt ſperandorum ſubſtantia. textus hæbræus habet עִיקָר. gnitier, id eſt, fundamentum, & ſubſiſtentiam; ſignificans fidem, cui adhæreat, vel quæ nobis repræſentet, quæ per ea aſſequi ſperamus, veluti certitudinem illam non ſubſiſtentium præbentem. ut etiam ibidem Theophilactus interpretatur. Eſt igitur hypoſtaſis proprietas quædam, certum quid demonſtrans. qua ratione dixerunt SS. Patres in Deo eſſe μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, id eſt, unam ſubſtantiam, tres hypoſtaſes. Concludimus igitur verbis S. Gregorij Nazianz. locis ſupra citatis, aſſerentis, quòd in divina Trinitate ſit, τὸ ἀσύγχυτον τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν τῇ μιᾷ φύσει τε καὶ ἀξίᾳ τῆς θεότητος. id eſt, in una natura & dignitate Deitatis inconfuſa trium perſonarum diſtinctio. Vide D. Auguſtinum lib. 3. de Trinitate cap. 10. & lib. 7. cap. 4. & D. Joannem Damaſc. lib. 1. de orthodóxa fide cap. 8. & 9. Ariſtotelem lib. 1. de partibus animal. cap. 5. & lib. 12. metaph. cap. 7. Porphyrium lib. de occaſionibus, theoremate 17. & 24. Gallen. Pergamenum tom. 1. operum. lib. quòd *animi humores &c.* Philon. Judæum lib. de agricultura. D. Chryſoſtomum tom. 2. homiliar. homil. in cap. 15. Lucæ. & homil. 2. adverſus Amonæos tom. 4. Quid D. Thomas de diſcri-

diſcriminis, quod verſatur ſubſtantiam inter & naturam & ſuppoſitum, Axerit, abundè conſtat ex teſtimonijs ipſius jam allegatis. Leontium Imperatorem act. 1. quæ incipit: *quùm ex antiquitatis &c.* & paulò poſt ſic: *ſciendum ergo, ſubſtantiam & naturam apud ipſos (SS. Patres) idem eſſe: ac rurſus idem hypoſtaſin & perſonam. Subſtantia ſive natura eſt apud eos, quod Philoſophi ſpeciem vocant; & ſpecies eſt, quæ de pluribus ac numero diverſis dicitur. Hypoſtaſin verò, ſive perſonam dicunt, quod individuam Philoſophi ſubſtantiam vocant; ac rectè quidem adjecimus individuam ſubſtantiam: nam Eccleſiaſtici Scriptores accidentium individua nec perſonam vocant, nec hypoſtaſin,* hæc Leontius ex Theodoro religioſſimo Abbate in appendice Bibliothec. SS. Patrum.

Ex hactenus dictis ſequitur, oſores & roſores Ariſtotelicæ diſciplinæ Pneumocoſmicos, non tam in ipſum Ariſtotelem, quàm in ſanctiſſimos Eccleſiæ Patres Auguſtinum, Damaſcen. Gregorium Nazianz. Baſilium, Anſelmum, Iſidorum, Bedam, Rupertum, Bonaventuram, Thomam Aquinatem, Thomam de Villa nova, Antonium de Padua, & Antonium de Florentia, aliosque innumeros Doctores Scholaſticos, Eccleſiæ lumina, qui ſcriptis ſuis eandem illuſtrarunt, petulanter debacchari, & probra effutire. Quorum exorbitanti ſuperbiæ opponimus S. Maximum centur. IIII. cap. 64. capitalem ipſorum morbum, nimirum, ignorantiam, ſuperbiæ genitricem, ſic definientem: *affectio ſuperbiæ duplici conſtat ignoratione. duæ porrò ignorationes, in unum concurrentes, reddunt unum intellectum confuſum. Superbia igitur eſt divinæ, humanæq; cognitionis privatio. Extremorum enim verorum inficiatione unica & mendax efficitur affirmatio.* Denique viſum fuit nobis, hic miſſa facere omnia argumenta, quæ pro confirmatione veritatis, quam propugnamus, adducuntur à neoterico Theodidacto, cap. 11, Typhi generis humani. pro comperto quippe habemus Lectori ſufficere noſtra ratiocinia, diſpoſita juxta dogmata veritatis revelatæ, & decreta SS. Patrum, Doctorum S. Romanæ Eccleſiæ.

§. 65.

Pneumocoſmicorum referuntur argumenta.

I. Præ-

I.

PRæcipuum, quippè primum, Sectariorum argumentum negativum eſt, quod ad hanc reducitur formam: Nulla eſt neceſſitas formas multiplicandi ſubſtantiales in hoc univerſo: ſufficit ergo unicus Spiritus mundi. conſequentia patet, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ne fruſtra fiant per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora. Porrò tam ſubtili argumento dignatæ fuerint religioſæ aniculæ apud Sanctum Turibium de Liebana degentes. Cum ſimilibus quondam loquebatur Orator 1. Tuſcul. quæſt. quùm ſcripſit: *quæ eſt anus tam delira, quæ iſta timeat, quæ vos, videlicet ſi Phyſica non didiciſſetis, timeretis?* quæ eſt anicula (inquimus & nos) *quæ iſta timeat*, quæ vos, Pneumocoſmici, etſi Phyſica didiciſtis, *timetis*? antecedens æternùm non probabitis: unde conſequentia veſtra eſt nulla. Ab illis ergo petite vetulis ad quid quinque digiti in utraque hominis manu? ad quid quinque in utroque pede? ad quid duo in capite ocelli? ad quid innumeri in capite capilli, in corpore pili? ad quid tot luminaria in firmamento, aſtra micantia in cœlo? ad quid duo? unum majus, alterum minus? nunquid non majus facere poteſt, quod minus facit? ad quid ergo, per plura fiunt, quæ poſſunt fieri per pauciora? quid plura? *numera aſtra ſi potes.* Pro omnibus igitur nentibus ſic deducimus.

I. Mundus eſt diſputabilis ſcientificè; hoc autem eſſet falſum, ſi unicus eſt ſpiritus mundi, ſenſibus & experientiâ demonſtratus: quippè de ſingularibus, corruptioni ſaltèm accidentali ſubjectis, nulla datur ſcientia: ergo ne de medio tollantur ſcientiæ de univerſalibus agentes, exſufflari debet ſingularitas ſpiritûs mundi: ergo &c.

II. Mundus vocatur univerſum: ſed univerſitas hæc eſt perfectionum ſubſtantialium: ergo formarum ſubſtantialium. non ergo unus eſt ſpiritus mundi &c.

III. Eſt demonſtrativum argumentum divinæ bonitatis & omnipotentiæ multiplicatio ſubſtantialis perfectionis ad extra, & maximè rationalis, juxta illud Pſalm. 11. *ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*: ergo &c.

IV. Ex ſacra ſcriptura conſtat dari elementa, & ad invicem tranſmutari viâ generationis & corruptionis, ut patet ex cap. 19. Sapi-

Digitized by Google

Sapient. ubi ſic: *percuſſi ſunt cæci &c. in ſe enim elementa dum convertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiunt, quod æſtimari ex ipſo viſu certò poteſt.* hæc ſapiens. ſed pluralitas ſubſtantialis elementorum cum unitate unius Pneumatis mundialis repugnat; ergo &c. Ad hæc: elementum nullum ex proprijs eſt ens miſtum, ſed ſimplex, ut patet in aëre, in aqua &c. ſed talis ſimplicitas formalis in equo & plantis &c. non invenitur: alia ergo eſt & alia forma ſubſtantialis in utrisque.

V. Deus infinitè bonus non eſt invidus, neque adeò pauper, ut præcisè unicam habeat ideam ſpiritûs mundi, ſed infinitas, prout accipitur à SS. Patribus Auguſtino, D. Thoma, & Doctoribus ſcholaſticis ratio ideæ: atquì pluralitas formalis rationis idealis in Deo infert efficaciter pluralitatem formarum ſubſtantialium ad extra. ergo &c. Hoc olim meditabatur Sapiens, quùm dixit: *non enim impotens erat Omnipotens manus tua, quæ creavit Orbem terrarum ex materia informi, immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces leones, aut * novi generis irâ plenas & ignotas beſtias: quarum non ſolùm læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus propter timorem occidere. ſed & ſine his, uno ſpiritu* (nunquid mundi? abſit.) *poterant occidi, perſecutionem paſſi ab ipſis factis ſuis, & diſpergi per ſpiritum virtutis tuæ.* Ecce ſpiritum mundi, nimirum Spiritum ſanctum, de quo ſcriptum eſt: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Tunc ſic: tolle multitudinem formarum ſubſtantialium in urſis, in leonibus, & in ignotis beſtijs, & dicemus: impotens eſt manus Domini: ſed hoc inſipiens blasphemia eſt: ergo &c. Secundò: *Novi generis beſtias*: ſi unicus eſt ſpiritus mundi, nulla datur prædicatio eſſentialis generica & ſpecifica de individuis. patet, quia hic mundus eſſentialitèr eſt ſingularis ſubſtantia, corporea, & materialis, quæ non ſolùm ſpecie, ſed genere differens eſt ab omni ſubſtantia ſpirituali: ſed hoc eſt non ſolùm contra intellectum humanum, divinitus edoctum, ſed etiam contra divinum, ut revelantem veritatem, ut ex cap. 1. Genes. & alijs multis locis apparet. ergo &c. Tertiò, quæ differunt genere, realiter differunt in forma ſubſtantiali, ita ut ipſo facto detur phyſicè pluralitas formarum, ut patet in Angelo & equo & formica &c. atquì ſapiens ad indimenſam divinæ omnipotentiæ abyſſum pertinere

NB.

Digitized by Google

aſſerit multiplicationem genericæ perfectionis intra formales terminos: ut certò conſtat in leone & urſo; ergo &c.

Hìc Pneumocoſmicos rogarem, ut poſteaquam evidenter norint, ſe duas habere manus, duóſque pedes, & denique ſiniſtram non eſſe dexteram, nec è converſo, apprimè ſtuderent probationi inutilitatis formarum ſubſtantialium in plurali, & neceſſitatis accidentalium comprobationi.

Argumentum II.

NOn ſunt contenti Pneumocoſmici (refert Theodidactus fol. 134.) objectionibus, adversùs animarum dualitatem allatis, ſatisfeciſſe, ſed etiam ſententiam ſuam firmare conantur ex ſcripturis: notum eſt illud Pauli: *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem.* hæc enim ſibi invicem adverſantur. ubi carni ſua tribuitur concupiſcentia, quæ non niſi in animam ſenſitivam referri poteſt. cùm enim illæ duæ concupiſcentiæ ſint ſibi invicem contrariæ, non poſſunt ab eadem anima rationali provenire, prout adverſarij contendunt. Huc etiam ſpectat illud ejusdem Apoſtoli: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Si autem unica tantùm eſſet in homine anima, legi ſuæ faciliùs obtemperaret: nec opus eſſet animæ rationali exclamare: *quis me liberabit de corpore mortis hujus!* favere præterea videtur huic ſententiæ textus ille ſapientiſſimi ejusdem Gentium Doctoris: *ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini Noſtri JESU Chriſti conſervetur.* item illud in cantico Mariano: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus &c.* in quibus textibus per ſpiritum videtur optimè intelligi anima rationalis: per animam verò ſenſitiva, ne alioquin idem inutiliter repeti dicatur. Hæc neotericus.

ad Galat. 5. *Rom. 7.* *1. Theſſal. 5.*

SATISFACTIO.

HIs teſtimonijs utuntur Manichæi ad probandam duplicem animam in homine, unam ſenſitivam malam à Dæmone, & aliam rationalem bonam à bono & optimo Deo. Videant modò Pneumocoſmici, à quibus petant Authoribus ſagittas argumentorum

torum

torum ſuorum, quibus ſe transfigere credunt capita communium Philoſophorum, quin potiùs Sanctorum Dei, &c. Videantur argumenta Manis ſupra allata, quæ ſunt eadem numero, genere & ſpecie cum argumentis Pneumocoſmicorum, ut Lectori conſtabit: *& tunc dicant, non ſumus contenti.*

Argumentum III.

INter duas ſententias (opponunt 3. Pneumocoſmici) circa mundi exiſtentiam ſibi contrariantes, illa eſt eligenda, quâ poſitâ, multæ ſolvuntur difficultates, & plurima naturæ miracula faciliùs atque commodiùs explicantur: atquì, ſuppoſitâ mundi animâ, multæ reſecantur atque ſolvuntur difficultates, quæ Philoſophorum communium ſcholas premunt: ergo ſententia, Spiritum mundi admittens, negativæ præferenda eſt. minorem probant inductione variarum difficultatum, quibus Philoſophi communes premuntur circa præexiſtentiam formarum in materia, earúmque quotidianam in tot generationibus eductionem, circa earum ſpecies, prærogativas, appetibilitates, compatibilitatem, diviſibilitatem, numerum & novitatem &c. Hæc neotericus fol. 142. pro Pneumocoſmicis.

SATISFACTIO.

MAjoris negamus ſuppoſitum. ſupponunt namque ſectarij ſuam edentulam ſectam opinionis titulo dignam eſſe, in quo planè falluntur. illi tamen digni inventi ſunt, ut eadem ipſis verba demus, quæ olim Bellarminus ubiquitarijs dedit, dicens: *quod portentum (neq; enim dogma, vel ſententia, vel opinio, vel ſimplex etiam hæreſis nominari debet) ſcripturis repugnat, adverſatur Patribus, & deniq; ſymbolum evertit.* quot enim, quanta, & qualia abſurda ſecum trahat prædicta ſecta, haud obſcurè ex dictis liquet: ac per conſequens ſyllogismi minor abſurdis jam obumbrata, dogmatibus ruit infæliciter hæreticis. cujus probatio hebetes duntaxat gurdósque premere potuit Philoſophos, ſpiritûs mundi fautores, ſubtilitatum Divorum S. Matris Eccleſiæ Doctorum, Auguſtini, Anſelmi, Damaſceni, Ruperti, Thomæ, Bonaventuræ &c. ab utero incapaces. Sed de his, Deo dante, in curſu Philoſophico agemus ex

Digitized by Google

profeſſo. De muſcis autem & alijs inſectis, quæ per hyemem ſine vita eſſe videntur, &, vere redeunte, ad novam revocantur vitam, conſule doctiſſimum Martinum del Rio lib. 2. diſquiſit. Magic. ſect. 1. Sigiſmund. lib. Baron. fol. 86. Moſcoviæ, ubi pro fabula habet, quod Theodidactus in ſuo tract. brevi ſeriò refert de obdormitione Lucomorienſium. Hiſtoriam item lege Dalheni de Petronio armentario & Abraele ſuccuba in Lotharingia anno 1581. & tandem Nicolai Remigij carmina lib. 2. Perioch. 1. Nos igitur cum græcis concludimus ἀετὸς ὐθηρεύεται μυίας (id eſt) aquila non captat muſcas.

Ultimum à paritate argumentum.

HOmo paſſim (proponunt ſectarij fol. 145. tract. de vanitate ſcientiarum) vocatur microcoſmus, ſeu parvus mundus: ſi homo eſt parvus mundus, mundus erit magnus homo: ergo ſicut in homine datur quædam anima, quæ omnes ipſius partes informat, ſic etiam huic mundo tribuenda eſt anima, quâ omnes illius partes animentur, ſibique cohæreant, conſtituendo unum ens per ſe: ergo &c. Quid ex hac ſubſequatur paritate contra ſectarios, ſupra oſtenſum eſt, à quibus obiter petimus 1. ad quid unuſquisque homo habet ſuum proprium cor? 2. an macrocoſmus habeat unicum, vel plura corda? ſi unicum habet, animantia, quæ ſine corde non vivunt, non pertinebunt ad macrocoſmum, eo quòd mundus non vivat ex illis. Si plura, microcoſmus v.g. Petrus non ſimilitudinem, ſed diſſimilitudinem fundabit ad macrocoſmum, quod etiam eſt contra rationem paritatis adductæ, in qua extrema comparata ſolùm diſtingvuntur penes magnum & parvum, non penes quid. Propterea.

§. 66.

Mundi ſenſilis ad intellectualem Pneumocoſmicis analogica refertur ſimilitudo, anagogica repræſentatur comparatio.

cap. 95. œconomic. centur. 5. Prudentia

QUod eſt æther (inquit S. Maximus) igneum videlicet elementum in mundo ſenſili, illud in mundo intellectûs eſt prudentia, veluti habitus illuſtrandi facultate pollens, ſpirituales com-

complectens ſermones, qui ſingulis in creaturis peculiariter inſunt: quibus cunctorum cauſam certò exprimit, & animæ deſiderium erga Numen divinum alliciendi vim habet. Item, quod in mundo ſenſili eſt aër, hoc in mundo intellectûs eſt fortitudo, tanquam habitus movendi vim habens, qui vitam per ſpiritum in ſitam pariter regit, perpetuúmque animæ motum circa Numen divinum vehementer intendit. Quod in ſenſili mundo eſt aqua, ipſum in mundo intellectûs eſt temperantia, habitus, qui fertilitatem per ſpiritum vivacem producit, & allectionem amatoriam deſiderij erga Deum perpetuò ſcaturientem gignit. Itidem, quod eſt terra in mundo ſenſili, hoc in mundo intellectûs eſt juſtitia, habitus videlicet, qui re ipsâ rerum omnium ſermones parit, vivificam ſpiritûs diſtributionem cuique ex æquo diſpenſat, ſedémque proprij fundamenti translatam in honeſto collocat. Hæc S. Maximus loco citato.

fortitudo.

temperantia.

juſtitia.

§. 67.

Hominis analogia cum Cœlo conſideranda Pneumocoſmicis proponitur.

QUemadmodum homo eſt quilibet microcoſmus, ita in ſe ipſo, ceù in imaginè macrocoſmum, præcipue cœlum, ejúſque ſydera refert. apprimè in ejus oculis ſplendent ſtellæ, in intellectu Phæbus, in voluntate regina cœli, id eſt Luna. Vel, ſi mavis, Sol totius vitæ motûſque fons, in corde: Luna, fæcunditatis humidæ mater, in cerebello: Jupiter blando omnia fovens calore, in hepate: Saturnus totius melancholiæ receptaculum in ſplene: Mars in ciſtellula fellis: Venus in partibus ſpermaticis: in pulmonibus Mercurius: Zodiaci ſigna in corporis lineamentis: in membris Planetæ: in capite Zenith. in vigilia oriens; in ſomno occaſus: in manibus Zonæ: in nervis Poli: in capillis centrici: in vultu aurora: in fronte via lactea: in calculis & arenulis grando: in lacrymis & catarrhis pluviæ: in ſuſpirijs vapores: in verbis tonitrua: in minis fulgura: in planctibus nimbi: in triſtitia animíque paſſionibus nubes: & in pace iris.

Digitized by Google

DIALOGISMUS III.

De Cœlo.

§. 68.

Nunquid cœlum eſt animatum ſecundùm Ariſtotelem?

Ariſt. lib. 2. de Cœlo tex. 13.14. & 15.

CŒOlum eſt animatum (inquit Philoſophus) *& principium habet motûs: cujus dico longitudinem eam eſſe, quæ eſt inter polos diſtantia. Polorum autem is quidem, qui apud nos videtur, pars infera eſt, qui verò nobis manifeſtus non eſt, partis rationem ſupera ſubit. Cœli igitur principium circulationis, unde ortus aſtrorum: ſiniſtrum, ubi occaſus. Quamobrem, qui habitant ſub polo antarctico, ſunt ſupra, & à dextris: nos autem infra, & à ſiniſtris: verùm reſpectu ſecundæ circulationis puræ Planetarum, nos quidem in ſuperis, & à dextris, illi verò in inferis ſunt, atque ſiniſtris.*

Anti-Ariſtoteles.

Lib. de cauſis propoſit. 5.7. & 28.

O*Mnis intelligentia eſt ſubſtantia, quæ non ducitur; quod eſt, quia ſi non eſt cum magnitudine, nec corpus eſt, nec movetur, tunc procul dubio non ducitur. Quapropter facta eſt altior, & ſuperior omni corpore, omni tempore, & omni multitudine; ſi enim intelligentia non eſt ſimplex, ſed compoſita: pars ejus eſt melior parte, & pars illius vilior parte; quare res melior eſt ex re viliore, & res vilior ex re meliore: quoniam eſt omnis pars ejus ſejuncta ab omni parte ejus; quare univerſitas ejus non eſt ſufficiens per ſe ipſam, cùm indigeat partibus ſuis, ex quibus componitur: & hoc quidem non eſt de natura rei ſimplicis, imò de natura ſubſtantiarum compoſitarum. jam ergo conſtat, quòd omnis intelligentia, ſtans per eſſentiam ſuam, eſt ſimplex, & non dividitur, quoniam non recipit compoſitionem, vel diviſionem, nec corruptionem, nec deſtructionem, ſicut oſtendimus.* Non igitur cœlum ab intelligentia animatur: ergo &c.

II.

lib. 12. metaph. t.5 11 & 7. in fine.

H*As Intelligentias oportet ſubſtantias eſſe abſq; materia: ſempiternas quoq; eſſe oportet; ſi aliquid tamen æternum eſt, actu quidem ſine materia ſunt. Ab illo igitur principio* (ſcilicet DEO) *tum cœlum,*

Digitized by Google

lum, tum natura dependet. Hæc Ariſtoteles. Si cœlum & natura à Deo pendent, tanquam à prima cauſa; ergo & materia prima. patet conſequentia, quia materia prima ſecundùm Ariſtot. obit munus phyſicum naturæ. Sed de hoc in noſtro rationali.

§. 69.
Quid ad hæc D. Thomas?

NOn multum refert (docet D. Thomas) quantum ad hunc modum dicendi, utrum moveatur cœlum à ſubſtantia ſpirituali conjuncta, quæ dicatur anima ejus, vel tantùm à ſubſtantia ſpirituali ſeparata; niſi quòd ponere ipſum moveri à ſubſtantia ſpirituali conjuncta, pertinet ad majorem dignitatem ipſius cœli. Quod attendentes Plato & Ariſtoteles poſuerunt cœlum animatum: quamvis poſſit aliquis è contrario dicere, quòd ſicut nobilius eſt corpus, quod habet ſubſtantiam immediatè conjunctam, ita nobilior eſt ſubſtantia ſpiritualis, quæ eſt omnino à corpore ſeparata. Unde & Plato poſuit bonum animæ rationalis eſſe, quòd quandóque à corpore ſeparetur. & ſecundùm hoc, cùm movens ſit nobilius moto, & magis ab eo dependeat motus, magìs videtur dicendum, ſubſtantiam moventem cœlum eſſe à corpore ſeparatam, quàm corpus cœli eſſe animatum, ut motus cœli ſit nobilior: alioquin videretur ſecundùm dictum Platonis, quòd anima cœli eſſet pejoris conditionis, quàm anima humana. Ex hoc autem, quòd cœlum eſt animatum, concludit Ariſtoteles: quòd habeat ſurſum & deorſum, dextrum & ſiniſtrum. Hæc D. Thomas.

D. Th. comment. in lib. 2. de cœlo cap. 13.

I I.

NEceſſarium eſt dicere ſecundùm opinionem Ariſtotelis, intellectum ſecundùm ſuam ſubſtantiam alicui corpori uniri, ut formam. probat enim Ariſtoteles in lib. 7. & 8. Phyſicor. quòd in motoribus & motis impoſſibile eſt procedere in infinitum: unde concludit, quòd neceſſe eſt devenire ad aliquid primum motum, quod vel moveatur ab immobili, vel moveat ſeipſum: & de his duobus accipit ſecundum, ſcilicet, quòd primum mobile moveat ſeipſum, eà ratione, quia, quod eſt per ſe, ſemper eſt prius eo, quod eſt per aliud. eſt igitur ſecundùm opinionem Ariſtotelis cœlum ani-

D. Th. 2. contra. Gentes cap. 70.

animatum ex anima intellectuali & corpore, & hoc ſignificat in 2. de anima text. 24. ubi dicit: *quòd quibusdam ineſt intellectivum, & intellectus, ut hominibus, & ſi aliquid hujusmodi eſt activum, aut honorabilius, ſcilicet cœlum.* Conſtat autem, quòd cœlum non habet animam ſenſitivam ſecundùm opinionem Ariſtotelis (haberet enim diverſa organa, quæ non competunt ſimplicitati cœli) & ad hoc ſignandum ſubjungit Ariſtoteles, quòd, quibus de numero corruptibilium ineſt intellectus, inſunt omnes aliæ potentiæ; ut daret intelligere, quòd aliqua incorruptibilia habent intellectum, quæ non habent alias potentias animæ, ſcilicet corpora cœleſtia. Non oportebit igitur dicere, quòd intellectus continuetur corporibus cœleſtibus per phantaſmata, ſed oportebit dicere, quòd intellectus per ſuam ſubſtantiam uniatur corpori cœleſti, ut forma. Hoc autem, quod dictum eſt de animatione cœli, non diximus, quaſi aſſerendo ſecundùm fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, ſive ſic, ſive aliter dicatur. Unde Auguſtinus in Enchiridio dicit: *neq; illud quidem certum habeo, utrum ad eandem ſocietatem SS. Angelorum pertineant Sol & Luna & cuncta Sydera; quamvis nonnullis lucida eſſe corpora, non tamen ſenſu, vel intelligentiâ prædita videantur.*

§. 89.
Anti-Thomas I.

D. Th. 1. p. q. 70. a. 3. Ariſt. 8. phyſ. t. 42. & 43. tom. 2.

ARiſtoteles 8. phyſicor. (inquit D. Thomas) poſtquam oſtendit, quòd primum movens ſeipſum componitur ex duabus partibus, quarum una eſt movens, & alia mota, aſſignans quomodo hæ duæ partes uniuntur, dicit: quòd per contactum, vel duorum ad invicem, ſi utrumque ſit corpus, vel unius ad alterum, & non è converſo, ſi unum ſit corpus, & aliud non corpus. Platonici etiam animas corporibus uniri non ponebant, niſi per contactum virtutis, & ſicut motor mobili: & ſic per hoc, quòd Plato ponit corpora cœleſtia animata, nihil aliud datur intelligi, quàm quòd ſubſtantiæ ſpirituales uniuntur corporibus cœleſtibus, ut motores mobilibus. Quòd autem corpora cœleſtia moveantur ab aliqua ſubſtantia apprehendente, & non ſolùm à natura, ſicut gravia & levia, patet ex hoc, quòd natura non movet niſi ad unum, quo

Digitized by Google

quo habito, quieſcit: quod in motu corporum cœleſtium non apparet. Unde relinquitur, quòd movetur ab aliqua ſubſtantia apprehendente. Auguſt. etiam dicit lib. 3. de Trinit. c. 4. paulò à principio tom. 3. corpora omnia adminiſtrari à Deo per ſpiritum vitæ; ſic igitur patet, quòd corpora cœleſtia non ſunt animata eo modo, quo plantæ, & animalia: ſed æquivocè (ſcilicet extrinſecè:) unde, inter ponentes ea eſſe animata, & ponentes ea eſſe inanimata, parva vel nulla differentia invenitur in re, ſed in voce tantùm.

II.

SI quis autem diligenter velit verba ſacræ ſcripturæ inſpicere, ex eiſdem accipere poterit, Angelos immateriales eſſe. Nominat enim eos ſacra ſcriptura quaſdam virtutes; dicitur enim in Pſal. 102. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus*; & poſtea ſubditur: *Benedicite Domino omnes virtutes ejus.* & Lucæ 21. dicitur: *virtutes cælorum movebuntur.* (quod de ſanctis Angelis omnes Patres exponunt) Quod autem materiale eſt, non eſt virtus, ſed habet virtutem, ſicut non eſt eſſentia, ſed habens eſſentiam: ſequitur enim eſſentiam. Non eſt autem homo ſua humanitas, neque ſua eſſentia, neque ſua virtus; ſimiliter autem, neque aliquid aliud ex materia & forma compoſitum: relinquitur igitur ſecundùm intentionem ſcripturæ Angelos immateriales eſſe. Hæc D. Thom. ac per conſequens ſecundùm intentionem ſcripturæ eſt, quòd cœlum non animatur ab Intelligentia intrinſecè conſtitutivè: ergo &c.

D. Th. opuſc. 15. & 18.

III.

TAlem (inquit) potentiam oportet in ſubſtantijs ſpiritualibus requirere, quæ ſit proportionata ad receptionem formæ intelligibilis; hujuſmodi autem non eſt potentia materiæ primæ: nam materia prima recipit formam, contrahendo ipſam ad eſſe individuale: forma verò intelligibilis eſt in intellectu abſque hujuſmodi contractione; ſic enim intelligit intellectus unumquodque intelligibile, ſecundùm quod forma ejus eſt in eo. intelligit autem intellectus intelligibile, præcipuè ſecundùm naturam communem & univerſalem, & ſic forma intelligibilis in intellectu eſt ſecundùm rationem ſuæ communitatis. Non eſt ergo ſubſtantia intellectualis receptiva formæ ex ratione materiæ, ſed magis per oppoſitam quandam rationem. Unde manifeſtum ſit, quòd in ſubſtantijs ſpiritualibus

D. Th. de ſpiritual. Creatur. a. 1. in O.

libus illa prima materia, quæ de ſe omnino ſpecie caret, *ejus pars eſſe non poteſt*. Hæc D. Thom. Ergo cœlum conſtitui nequit ex ſubſtantia partiali præcisè intellectivâ, & ex materia prima informi: ergo non animatur cœlum ab Intelligentia intrinſecè conſtitutivè: ergo &c.

IV.

D. Th. ibid. a. 1. ad 4.

NOn eſt intentio Auguſtini dicere: quòd eadem numero ſit materia viſibilium & inviſibilium, cùm ipſe dicat, duplicem informitatem intelligi per cœlum & terram, quæ dicuntur primò creata; ut per cœlum intelligatur ſubſtantia ſpiritualis adhuc informis, per terram autem materia rerum corporalium, quæ in ſe conſiderata informis eſt, quaſi omni ſpecie carens. Unde etiam dicitur inanis & vacua, vel inviſibilis & incompoſita ſecundùm aliam literam; cœlum autem non deſcribitur inane & vacuum: per quod manifeſtè apparet, quòd materia, quæ caret omni ſpecie, non eſt * *pars ſubſtantiæ Angelicæ*: ſed informitas ſubſtantiæ ſpiritualis eſt, ſecundùm quod nondum eſt converſa ad verbum, à quo illuminatur, quod pertinet ad potentiam intelligibilem: ſic ergo materiam communem viſibilium & inviſibilium notat utrúmque, prout eſt informe ſuo modo.

NB.

V.

D. Th. ibid. ad 1.

SUbſtantiæ ſpirituales, licet ſint formæ ſubſiſtentes, ſunt tamen in potentia, in quantum habent eſſe finitum & limitatum. Et quia intellectus eſt cognoſcitivus omnium ſecundùm ſui rationem, & voluntas eſt amativa univerſalis boni, remanet ſemper in intellectu & voluntate ſubſtantiæ creatæ potentia ad aliquid, quod eſt extra ſe. Unde ſi quis rectè conſideret, ſubſtantiæ ſpirituales non inveniuntur eſſe ſubjecta niſi accidentium, quæ pertinent ad intellectum & voluntatem. Ac per conſequens non oportet, quòd omne, quod quocunque modo eſt in potentia, hoc habeat à purâ potentiâ, quæ eſt materia. & in hoc videtur fuiſſe deceptus Avicembron. in lib. font. vit. dum credidit, quòd omne illud, quod eſt in potentia, vel ſubjecto quodammodo, hoc habeat ex prima materia; ergo &c.

§. 71.

Digitized by Google

§. 71.

Nunquid D. Thomas contraria ſenſit?

RESpondemus, D. Thomam ſenſiſſe utrumque eſſe probabile in via Peripatetica, ſcilicet, & cœlum eſſe animatum, & non eſſe animatum intrinſecè conſtitutivè; at quia textus Ariſtotelicus ex lib. 2. de cœlo ſine aliqua violentâ expoſitione intelligi poteſt de animatione extrinſeca: propterea ſic libet in præſentiarum philoſophari.

§.

Antitheſis.

SEcundùm Ariſtotelem cœlum non eſt animatum animâ intellectivâ dante eſſe formaliter conſtitutivè in determinata ſpecie. Quod

SIC OSTENDITUR I.

SI cœlum eſt animatum animâ præcisè intellectivâ (ut ſupponitur) aut ipſa anima unitur cœlo propter operationem intellectivam, aut propter motum. Non primum: quia, cùm intellectio ſit operatio, cui non communicat corpus, intellectus non indigebit corpore, niſi in quantum ei per ſenſus miniſtrantur phantaſmata, operationes autem ſenſitivæ non conveniunt corporibus cœleſtibus, in quibus proinde non ſunt organa ſenſuum: ergo &c. Non ſecundum: tum quia, ad hoc ut moveat, non oportet, ut uniatur orbi tanquam forma dans eſſe, ſed ſufficit unio per contactum virtutis, ut habetur 8. phyſic. tex. 43. tum, quia Commentator 12. metaph. comment. 36. ait: quòd corpora cœleſtia ſunt animata, & non habent de virtutibus animæ, niſi intellectum, & virtutem deſiderativam, quæ movet in loco: ergo non poſuit Ariſtoteles cœlum eſſe animatum animâ dante eſſe formaliter.

OSTENDITUR II.

SI cœlum eſſet animatum intrinſecè, tunc motor moveretur per accidens ad motum ipſius orbis. Nam, ut dicitur 8. phyſic. tex. 51. moto corpore, movetur & id, quod eſt in corpore: ſed primum movens, quod Ariſtoteles dixit eſſe partem moventis ſeipſum,

non movetur, nec per ſe, nec per accidens, ut dicitur ibidem text. 52. ergo motor cœleſtis ſphæræ non eſt forma conſtitutiva illius vitàliter intrinſecè: ergo &c.

Ostenditur III.

SI cœlum eſſet animatum, eſſet corpus organicum, cùm anima ſit actus primus corporis organici, ut dicitur 2. de anima: hoc autem ſimplicitati ejus repugnat: ergo &c.

IV.

SAnctus Thomas, ut conſtat ex allegatis teſtimonijs, tenet, quòd Ariſtoteles voluit, cœlum eſſe animatum animâ movente tantùm, non autem animâ dante eſſe: ergo &c.

V.

IDem Doctor Angelicus de ſpiritualibus creaturis a. 6. aſſerit, ad ſalvandam opinionem Ariſtotelis & Platonis ſufficere, ut ſubſtantia intellectualis uniatur corpori cœleſti per modum, quo motor unitur mobili. & q. 70. primæ part. cit. concludit, quòd, inter ponentes corpora cœleſtia eſſe animata, & ponentes ea inanimata, *pàrva vel nulla differentia invenitur in re: ſed in voce tantùm.* ergo ſolùm extrinſecè motivè, non intrinſecè conſtitutivè, cœlum dicitur animatum.

VI.

EX tali poſitione ſequeretur, quòd cœlum, aut ſaltèm ſphæræ inferiores haberent tres motores, ſcilicet Deum, Intelligentiam, & animam: ſed hoc eſt falſum, quia cœlum habet tantùm duos motores, (ut inquit Commentator 12. metaph. comment 41.) ergo &c.

VII.

SEqueretur, quòd cœlum poſſet naturaliter ex ſe quieſcere: quod eſt contra Philoſophum: ſequela probatur, quia alia movet per appetitum. Deinde, quod eſt cauſa motûs naturalis, principium etiam eſt naturalis quietis: ergo &c.

VIII.

CEſſarent omnes demonſtrationes Ariſtotelis, quibus utitur ipſe ad probandum primum motorem omnino immobilem, quia poteſt adverſarius reſpondere: non oportere dari motorem ſepara-

Digitized by Google

ratum, quia, cùm cœlum ſit animatum, movet ſeipſum, utpote conſtans parte movente, & parte motâ, ſicut reliqua animalia: ergo non omne, quod movetur, ab alio ſeparato movetur: ergo &c.

IX.

SI Intelligentia, quæ movet cœlum, eſſet anima cœli, non haberet determinatum ſitum in cœlo, ſed eſſet in toto, tanquam in ſubjecto adæquato, ut patet in anima rationali, quæ habet totum corpus, quod informat, pro ſubjecto adæquato: ſed hoc eſt contra mentem Philoſophi, qui ponit Intelligentiam moventem cœlum, eſſe in ejus circumferentia, ut patet 8. phyſic. t. 84. ergo, &c.

§.

Antitheſis.

MUltum refert, quantum ad hunc modum movendi, utrum cœlum moveatur à ſubſtantia ſpirituali conjunctâ, quæ dicatur anima ejus, vel tantùm à ſubſtantia ſpirituali ſeparatâ; primum eſt procul dubio falſum: ſecundum verò, ut certum ab Eccleſia admittitur: unde, *ſi quis dixerit* (definierunt PP. V. Synod. General.) *cœlum, & Solem, & lunam, & ſtellas, & aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, animatas quaſdam eſſe & rationales virtutes, anathema ſit.*

§. 72.

Anti-Auguſtinus ad illa verba, neque illud quidem certum habeo, utrum ad eandem ſocietatem, &c.

HOc quoq; (ſcribit Imperator Juſtinian.) *Origenis demonſtrat amentiam,* * *qui affirmat cœlum, & ſolem, & lunam, & ſtellas, & aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, animatas eſſe, & quaſdam virtutes ratione utentes.* *Qui igitur* (concludit ſubſcribens Author lib. de cognitione veræ vitæ c. 6. qui eſt inter opera S. Auguſt.) *ſydera rationabilia, vel ſaltem ſenſibilia corpora arbitrantur, jure ſenſu carentes, inter irrationabilia computantur.*

in epiſtol. ad Mem.
2. Periarch. c. 7. & in Ezech. hom. 4. & in 1. comm in joan. & ex illo Job. 15. ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus.

§. 73.

Deciſio ad mentem SS. PP.

NOs autem prementes veſtigia PP. Concilij Lateran. ſub Innocent. III. Pontif. Max. in medium proferimus eorundem ſanctionem in C. firmiter: de ſumma Trinit. quæ ſic ſe habet: *unum univerſorum principium, creator omnium viſibilium & inviſibilium, & corporalium, & ſpiritualium, qui ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramq; de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* ex qua ſic licet inferre: homo eſt natura communis ex ſpiritu & corpore conſtituta: cœlum igitur ad mentem PP. Sacri Concil. non eſt natura communis ex corpore & ſpiritu rationali. Nam aliàs ab initio temporis non utramque, ſed trinam naturam Deus condidiſſet; & deinde humanam, juxta illud Genes. 1. *faciamus hominem, &c.* aſt hoc alienum eſt à Patrum mente & decreto: non ergo ponatur cœlum animatum ſine capite.

Ad hæc: *inviſibilia Dei à creatura mundi &c. à creatura mundi* (exponit D. Thomas) *per quod intelligitur homo, juxta illud Marci ult. prædicate Evangelium omni creaturæ: habet enim eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, ut Gregorius dicit &c.* non ergo cœlum eſt microcoſmus, ſicut eſt homo: ergo, &c. Præterea ſi cœlum eſt animatum, non datur ratio, cur non & elementa, & tandem totum univerſum; hoc autem improbatum eſt: igitur & illud.

Rom. 1. Lect. 6.

II.

SI cœli ſunt animati, profectò animæ illorum, utpotè intellectivæ, ſupernaturalis beatitudinis ſunt capaces; defacto igitur ſunt beatæ. Si beatæ: cur Solem, & lunam, & ſtellas, & cœlos ipſos non veneramur? cur opem illorum non imploramus? cur feſtum omnibus de aſtris, commune ſaltèm, non celebramus? cur litanias ſpeciales *cum orate pro nobis ſydera cœli*, non inſtituimus? cur non erit licitum concinere in Eccleſia ſancta Dei, Sanctum Cœlum ora pro nobis? & poſtea concludere, portæ cœli orate pro nobis, juxta illud Pſalm. 23. *attollite portas, principes, veſtras, & introibit*

Rex

Digitized by Google

Rex gloriæ. ſi igitur catholicè Solem, & Lunam, & ſtellas &c. non poſſumus venerari, ceù Empyrei-colas: procul dubio ſanâ defendere mente non poſſumus, cœlos & ſydera animâ conſtare intellectivâ eſſentialiter. Quamobrem præſtat cum Rege pacifico, ſalvâ pace, nunc proclamare: *vani ſunt naturâ omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. & ex his bonis, quæ videntur, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neq; operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex: ſed aut ignem, aut * ſpiritum, aut citatum * aërem, aut * gyrum ſtellarum*, (quare non dixit ſpiritum ſtellarum?) aut nimiam * aquam, aut * Solem, & * lunam orbis *terrarum rectores Deos * putaverunt. Quorum ſiquidem ſpecie delectati, Deos putaverunt.* Si enim Sol v. g. eſt ſubſtantia intellectualis, jam ſacrâ apotheoſi donata, quarè appellari non debet Deus, cùm veritas dicat: *ergo dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes?* quarè non & rector, ſi intellectum bonum habet, ſalutandus eſt, cùm Deus ipſe illum fecerit luminare majus, ut præeſſet diei? quarè? quia Sol non vivit, niſi ſecundùm opinionem Ethnicorum, quorum alij aquam, alij aërem, alij gyrum ſtellarum, alij lunam, alij tandem celebres lunatici Solem ſubſtantiam intellectivam credentes, conſequenter illum Deum rectorem orbis terrarum putaverunt. *Sap. c. 13.* * *NB.*

III.

PRudentiùs igitur doctus Anaxagoras quondam (cùm lapis in Ægos, Thraciæ fluvium, de cœlo cecidiſſet, quod quidem & ipſe futurum eſſe prædixerat) affirmavit, cœlum totum quantum ex lapidibus conſtare, Solémque ipſum nihil aliud eſſe, quàm ſaxum candens, immune tamen ab omni gradu vitæ. Cujus mentem aſſecutus Euripedes ejus diſcipulus, Solem in Phaëtontis tragædia auream compellavit glebam. Anaxagoras verò ob confeſſionem tam ſolidæ veritatis (teſte Diogene in ſucceſſionib.) impietatis accuſatur à Cleone, & quanquàm defenſus fuerit à Pericle diſcipulo, nihiloſecius exilio tandem mulctatur. Nos igitur Anaxagoræ ſubſcribentes, iterum petimus.

§. 74.

Digitized by Google

§. 74.

An cœlorum Aſtrorûmq; animæ (ſuppoſito, quòd non ſint beatæ) ſint damnatæ?

SI damnatæ: ubi habent infernum? nunquid in proprio corpore? ſi in proprio corpore: ad quid Deus paravit infernum in
Math. 25. inferioribus partibus terræ, juxta illud Math. *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus?* & Job. 11. *Excelſior cœlo eſt, & profundior inferno?* De quo etiam David inquit,
Pſal. 138. *ſi deſcendero in infernum, ades.* Quem infernum Job. c. 13. *vocat terram tenebroſam, & opertam mortis caligine.* Si damnatæ, inquam: quomodo in proprio corpore? Nunquid corpus, quod fuit pars connaturalis, & quaſi ſponſa animæ vivificantis, deſinit eſſe pars, & in locum tartareum tranſmutatur? ſi tranſmutatur, tot ergo erunt inferni, quot damnatorum animæ: hoc autem ſacro eloquio contradicit: nam Apocal. 20. habes: *infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. hæc eſt mors ſecunda, & qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*: Non ergo, in proprijs corporibus eſſe, eſt in inferno eſſe. Si damnatæ: nunquid venturæ ſunt ad judicium univerſale, celebrandum in campo Joſaphato? ſi venturæ: quî tam anguſtus & brevis campus (qui ad tria duntaxat germanica milliaria diſtenditur) capere quibit indimenſam humanitus ſphærarum molem? ſi damnatæ: quomodo revelata ſalvabitur veritas in ore Regij Vatis: *altiſſimum poſuiſti refugium tuum, non acce-*
Pſalm. 90. *det ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo?* ſi in
Pſalm. 18. Sole Deus *poſuit tabernaculum ſuum*: Sol utique ob ſua non flagellabitur ſcelera: Si autem Sol ſcelerum ſuorum luit jam pœnas, aut aliquando illas eſt juſtè daturus: flagellum appropinquavit, vel aliquando appropinquabit tabernaculo Dei: ſi flagellum appropinquavit tabernaculo Altiſſimi: quomodo ipſius verbum non tranſi-
Luc. 21. vit? non ergo ultra ſperare debemus in Salvatoris promiſſis: *cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* ſi damnatæ: quomodo columna veritatis concinnè de immaculata Matre & Virgine ſemper MARIA ſuccinit: *pulchra ut luna, electa ut Sol?* Si Sol electus eſt, non ergo damnatus; ſi Luna pulchra: non ergo deformis

formis noxâ peccati ? injuſta quippè eſſet talis æquiparatio : quæ enim conventio lucis Marianæ cum præſcitorum tenebris ? ſi demum damnatæ, igitur verum eſt dicere : omnes beati habitabunt in inferno; quandoquidem damnati orbes cœleſtes, (ut ſupponitur) cœlicolis illis calcandi ſupponentur. Hæc omnia abſurda ſunt, & divinis ſanctionibus dubio procul ex diametro oppoſita : eapropter olim Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Stephanus Epiſcopus Pariſienſis, prævio maturo conſilio Doctorum ſacræ Theologiæ in Alma inclytáque univerſitate Sorbonica, Dominicâ, *Lætare Jeruſalem.* Anni 1226. anathematis vinculo innodavit omnes illos, qui auſi fuerint docere, vel defendere, quòd corpora cœleſtia moventur à principio intrinſeco, quod ſit anima intellectiva: ergo &c.

§. 75.

Si non ſunt damnatæ, neq; beatæ cœlorum animæ, nunquid viatrices?

§.

Viatrices ſi defacto ponantur uſque ad diem judicij, petimus, an ſint omnes electæ ad beatitudinem ex meritis Chriſti, vel non? vel an conditæ ex vi alterius providentiæ in puris naturalibus, nullà æternùm ſint afficiendæ gloriâ, pœnâ nullâ ? ſi in puris ſunt conſtitutæ, & ad ſupernaturalem beatitudinem non elevatæ: quis tibi hoc dixit? Deus, an Antangelus? ſi Deus, teſtimonium mihi perhibe hac de veritate ex illibato ſacræ ſcripturæ fonte, vel ex quoquo ad minimum concilio in Spiritu ſancto congregato. Si Diabolus : ergo falſum eſt, quoniam hic mendacij pater. *Si* à temetipſo loqueris : inquiro, an liberè, an neceſſariò? ſi neceſſariò faris (ut communiter omnes liberum arbitrium negantes, convincuntur verba eructare, & probra effutire) quare tuæ dementiæ, & illorum delirijs debemus aſſentiri, cùm non ſit in tua libertate explicare, utrum falſum, an verò nobis verum patefacias. Si liberè tandem loquaris, infirmitas tua reverà eſt ad mortem; magnis namque vertiginibus tuum jam rotatur caput. Ecce: nunquid, quia in puris conſtitutæ, ideò ſunt impeccabiles?

Digitized by Google

ſi in puris ſunt, & non impeccabiles, ex ſuppoſitione tamen, quòd peccarint, quis earum Meſſias? nunquid, quia in puris philoſophicè tantùm peccare poſſunt: ideò impunes effugient Authoris manus? nihil minus. Non ergo longè aberit miſeriæ flagellum à corporibus cœleſtibus, dato, ſed non conceſſo, quòd conditi fuerint cœli in puris naturalibus. Si tandem ſunt elevatæ, invitatæ, & vocatæ ex meritis paſſionis Chriſti ad cœnam ipſius Agni, quis tibi ſuggeſſit, quòd Chriſtus fuerit mortuus pro cunctis aſtris? ſi pro aſtris cœliſque mortuus eſt, quare non credis cœlorum propter ſyderúmque ſalutem de cœlis deſcendiſſe? quare? quia de cœlis, non verò propter cœlos venit VERBUM in carne. Sunt ergo cœli res inanimatæ, loci munus obeuntes, non verò rationales, quorum gratiâ verificari poſſit: *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* *Joan. 8.*

I I.

SI cœlum eſt animatum animâ intellectivâ, inquiro, an de potentia abſoluta poſſit hæc ab illo ſeparari corpore, vel non? hoc ſecundum nullus audebit negare, cùm in eo nulla appareat contradictionis implicantia, ut cernere licet defacto in anima rationali, quæ, non inſpectâ ultimâ Dei potentiâ, ſed tantùm ordinariâ, compartem ſuam materialem reſolutoriè deponit. Si autem divinitùs ſeparari valet anima illa intellectiva à globo ſuo partiali: quarè non erit in confeſſo apud omnes Philoſophos, quòd materia prima de potentia abſolutâ poteſt conſervari à cauſa prima ſine forma ſubſtantiali, ſeu exiſtere ſine actu formali? nunquid aliquod agens naturale poterit creare aliam Intelligentiam, & illam copulare cum deſerta ſphæra? omnes Scholaſtici, & rectè quidem, negabunt; creare quippè ex nihilo Dei proprium eſt: & ſupra vires Seraphicas ad huc elevatum. Nunquid vegetativa forma, vel ſenſitiva ſubrogabitur? aſt quî fieri poterit, ut ſine pabulo in tanta conſerventur machina, organizationis quoque incapace? ſi cœlum eſt incorruptibile, & inalterabile naturaliter viâ generationis in ſeipſo, quomodo (ſublatâ divinitus animâ, ut ſupponitur) & nullâ præcurrente in ſubjecto diſpoſitione, educi poteſt forma ſubſtantialis, ſive vegetativa, ſive ſenſitiva? nunquid nobis cadavericam formam ultimò objectabis? aſt ubi ſepeliemus tantum cadaver? nunquid tibi

bi videtur, quòd ſi corpus Chriſti in triduo tali fuit formâ actuatum, pariter actuandum etiam erit cœlum neceſſariò, eò quòd divinâ manu ſpoliatum ſit propriâ? ego autem dico (gratìs adhuc admiſſo, quòd ſacratiſſimum Chriſti corpus ſubſtratum fuerit formæ cadaveris) nullam in præſentiarum intercedere parilitatem; corpus enim Chriſti fuit diſpoſitum, & actuatum ex vi diræ paſſionis primis & noviſſimis diſpoſitionibus, ex ſe quidem excluſivis, ac ſeparativis animæ ipſius ſanctiſſimæ à corpore, nec non corruptivis quoad ſufficientiam, ſi forma eſſet deſtruibilis, efficaciter tamen illativis, ac effectricibus in ſuo genere formæ cadavericæ: unde, quidni forma hæc adoriatur corpus Chriſti, quandoquidem in diſpoſitionum ſinu ſubfrigido virtualiter latitabat?

Nunquid jam in cœlo propriâ formâ purè intellectivâ privato aſſignare præſumes effectrices qualitates diſponentes ultimatè, & ex meritis proprijs ad cadavericam formam? Hoc ſi ex proprio facis marte, quare non ad alias &c. ſin impoſſibilitatem olfacis, quare non conticeſ? denique nos, ſalvâ pace, aſſerimus (ſemel admiſſo, quòd cœli vivant vitâ purè intellectivâ) materiam primam poſſe divinitus exiſtere ſine forma ſubſtantiali; ac per conſequens de facto ob defectum vitæ non dari in illis dextrum & ſiniſtrum, niſi æquivocè tantùm, quidquid dicat Stagyrita.

§. 76.

Nunquid aurea Homeri catena (quam animam univerſalem Mundi Pneumocoſmici appellant) ſymbolum eſt divinæ providentiæ, quâ reguntur univerſa?

Reſp. affirmat.

NOs minimè latet, Platonem in Theæteto per Homeri auream catenam Solem intellexiſſe, ibi enim ſic: *& ad hæc colophonem inſuper addam, auream illam catenam, quâ nihil aliud, quàm Solem Homerus oſtendere voluit. quamdiu enim circuitus ille Sol movetur, omnia ſunt, ac ſervantur inter Deos & homines: ſi verò ſtaret hoc totum velut ligatum, omnia corrumperentur, & fierent inverſa.* Hæc Plato, quibus prælibatis.

Digitized by Google

§.

Homer. 8. iliad.

Producitur aurea Homeri catena, Jovem Dijs concionantem carmine introducentis.

Eja jam experimini Dij, ut videatis omnes,
Funem aureum ex cælo ſuſpendentes,
Omnes detrahite Dij, omnésq; Deæ,
Sed non trahetis ex cælo in terram
Jovem eximium conſiliarium, neq; ſi valde
multum laborabitis.
Sed quando jam & ego promptus velim trahere,
In ipſam terram traham, ipſumq; mare,
Funem quidem poſtea circa ſummitatem olympi
Ligabo, hoc autem rurſus ſuſpensô, omnia fiunt.
Tantùm ego ſupráq; ſum Deos, ſupráq; ſum homines.

POrrò funis iſte Olympi ſummitati alligatus, ſecundùm Macrobium & Lucanum, nihil aliud eſt, quàm divinæ providentiæ ordo, quo cuncta conſiſtunt, catenatis quodammodo nexibus, qui annuli Platonis nominari ſolent, de quibus ille agit 10. de Repub. à ſummo igitur Deo uſque ad ultimam rerum entitatulam, ita omnia inter ſe mutuis colligantur vinculis, ut nuſquam interrupta fuerit eorum connexio, neque vacuum illatum. De hac eadem connexione, cecinit Homerus in aurea catena, qua Junonem, à Jove ſuſpenſam, inducit:

§.

Homer. iliad. 15.

An non recordaris, quando pependiſti ab alto: ex
autem pedibus incudes poſui duas, circa manus
autem vinculum extendi aureum incorruptibile.
Tu autem in Æthere & nebulis pependiſti, ægre
tulerunt autem Dei in magno Olympo, ſolvere
autem non potuerunt præſentialiter.

His Homerus ſignificavit aureis verbis: quatuor elementa ita invicem copulari, ut diſſolvi non poſſint. ut in additionibus ad Pierium in Hieroglyphicis legitur. Symbolum enim quatuor elementorum in hoc conſiſtit: Juno ipſa aërem, catena ignem, quo cætera

cætera colligantur, atque miſcentur, duæ incudes, altera aquam, altera verò terram ſignificat, quæ omnia Jupiter, id eſt, ſummus Deorum Deus ita cœlo alligavit, ut nullus Pneumocoſmicus ſolvere gigas, & multo minus vacuum propriâ valeat inferre virtute: de hac connexione mellifluus cecinit Boëtius:

Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut merſas deducant pondera terras.

Denique de eadem Manilius in Aſtronomicis ſic:

- - - cùm Spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atq; irriget orbem,
Omnia prævolitans, corpúsq; animale figuret,
Quod niſi cognatis membris contexta maneret
Machina, & impoſito pareret tota Magiſtro,
Ac totum Mundi regeret prudentia ſenſum.
Non eſſet ſtatio terris, non ambitus aſtris,
Hærerétq; vagus mundus, ſtandóq; rigeret,
Nóxq; alterna diem fugeret, rurſúsq; fugaret,
Non imbres alerent terras, non æthera venti,
Nec pontus gravidas nubes, nec flumina pontum,
Nec pelagus fontem, nec ſtaret ſumma per omnes
Pars, ſed per partes æquo digeſta parente,
Ut neq; defluerent undæ, nec ſydera nobis,
Nec cœlum juſto majúsq; minuſve volaret.
Motus alit, non mutat opus: ſic omnia, toto
Diſpenſata manent mundo, Dominúmq; ſequuntur,
Hic igitur Deus & ratio, qui cuncta gubernat.

Vide Triſmeg. apud Aulogel. l. 6. noct. attic. & lib. 13. c. 1. Ptolomæ. l. 3. quadripart. Lucan l 6. Ovid. l. de triſt. Juven. lib. 3. Curt. l. 5. Ariſt. l. 2. de anim. Senec. in tragæd. Cicer. l. 1. de divin. & l. de fato. Plat. l. 24. in gorgia. l. 26. in phæd. Rabbi Moyſ. in epiſt. ad Hebræos Maſſiliæ.

Zenon. apud Laert. Deum Zina & Dia appellantem, ſed de hoc in noſtris Ethnico-theologicis inſtitut. erit iterum ſermo.

§. 77.

DIALOGISMUS IV.

§.

De immortalitate animæ rationalis à Philoſophis ethnicis aſſertâ.

Quinam Philoſophi animæ rationalis immortalitatem aſſeruerunt?

I.

INprimis eximius Plato ex Triſmegiſto in Phædone, ubi ſic determinat: *Qui nobis myſteria conſtituerunt, minimè contemnendi videntur: ſed reverà jam dudum occultè nos admonuêre, quòd, quicunq; non expiatus migrabit ad inferos, jacebit in luto: quicunq; verò purgatus atq; mitratus hinc deceſſerit, cum Dijs habitabit.* Quod confirmat lib. 9. de legib. *his verbis: quicunq; parentibus inferre manus auſus fuerit, nec ſuperiorum indignationem Deorum* (id eſt, Angelorum) *nec inferorum ſupplicia veritus, ſed, quaſi ſciat, quæ neſcit, dicta à priſcis omnibus deſpiciens, injuſtè agit ultimò, ut avertatur, expietúrq;, remedio indiget. * Mors autem ultimum non eſt: ſed extrema magis ſunt inferorum ſupplicia, quæ licet veriſſimè narrentur, avertere tamen ejuſmodi animos nequeunt.*

idem lib. 9. de legib.

NB.

I I.

PHocylides, clariſſimus hujus veritatis aſſertor, in præceptis ſuis nobis obviat, dicens: *Anima immortalis eſt, vivitque perpetuò, nec ſeneſcit unquam.*

Philo. Jud. in lib. quòd omnis probus eſt liber.

I I I.

ANaxarchus hanc veritatem uſque ad ultimum halitum ſtrenuè propugnavit. Nam à Nicocreonte Cypri Tyranno captus, & malleis ferreis in ſaxo excavato contuſus, *tunde* (inquit) *tunde probè Anaxarchi carnes & oſſa*, ſive (ut alij) follem Anaxarchi: *tamen animum nequaquam lædes.*

Druſſ lib 2. cap. 1. ex Plutarcho.

I V.

EPicharmus apud Clementem Alexandrin. inquit: *ſi animâ bonus es, mors nocere tibi non poteſt: vivet ſpiritus tuus in cœlo beatus. &c.*

Clemens Alexandr. in aureis verſib.

V.

PYthagoras dictavit: *aurigam animam optimam ſi corpori conſtitueris, ubi derelicto corpore liber ad æthera perveneris, eris immortalis.* Pythagoræ carmina græca dabimus in 2. tract.

Ælian. lib. 12. variar. hiſtoriar.

V I.

CErcidas, in extremo vitæ conſtitutus, interrogatus ab amicis, num libenter mori vellet? *quidni*, inquit, *videbo enim poſt mortem*

Anton. & Maxim. ſerm. de anima.

teni viros in omni ſcientiarum genere doctiſſimos, ex Philoſophis Pythagoram, ex hiſtoricis Hecatæum, ex Poëtis Homerum, ex Muſicis Olympum, qui ſuis literarum monumentis nomen ſibi immortale pepererunt.

VII.

ANima Sapientis (ſcripſit Philiſtio) *Deo conjungitur, animam non mors, ſed mala vita perdit.* Bruſ. lib. 4. c. 10. Laert. lib. 2.

VIII.

SOcrates rogatus à Critone, quomodo vellet ſepeliri? *multam* (inquit) *ô amice, operam fruſtrà conſumpſi, Critoni enim noſtro nondum perſuaſi, me hinc avolaturum, neq; quidquam mei relicturum. Veruntamen, ô Crito, ſi me aſſequi poteris, aut ſicubi nactus fueris, utcunq; videtur, ſepelito. Sed mihi crede, nemo veſtrûm, cùm hinc exceſſero, conſequetur.* Socrates.

IX.

HOc habet (inquit Seneca) *argumentum divinitatis animus, quòd illum divina delectant, nec ut alienis intereſt, ſed ut ſuis.* Senec. præfat. lib. 1. nat.

X.

THraſeas Petus Romanorum fortiſſimus, dicere ſolebat: *Nero quidem me occidere poteſt, perdere autem nequaquam,* juxta illud Socraticum. *Anytus & Melytus interficere me poſſunt, ſed incommodo aut detrimento minimè afficere.* Idem lib. ad Gallion. de brevitate vitæ. Xephilin. in Neron. Bruſ. lib. 2. cap. 10.

XI.

CYrus ſic filijs ſuis jam moribundus locutus eſt: *Nullo modo, filij, hoc unquam mihi perſuaſi, ut animus vivat, donec fuerit in corpore mortali, quùm verò fuerit ſolutus, moriatur.* Cicero in Catone Major. ex Xenoph.

XII.

ANimorum, ſcripſit Cicero, *in terris nulla origo inveniri poteſt; nihil eſt enim in animis mixtum, atq; concretum, aut quod ex terra natum, atq; factum eſſe videatur, aut quod humidum, aut flabile, aut igneum. His enim nulla vis ineſt memoriæ, intellectûs, cogitationis, quæ præterita retineat, prævideat futura, præſentia comprehendat; quæ quidem omnia divina ſunt. Quòd autem ex hominum genere conſecratos, ſicut Herculem, & cæteros coli lex jubet, indicat omnium quidem animos immortales eſſe, ſed fortium, bonorúmq; divinos.* Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſt. & in conſol. lib. de legib. & in ſomn. Scipion.

Ad

Digitized by Google

Ad mentem igitur Tullij aſſerere tenetur quilibet Philoſophus prudens, animam rationalem nullatenus educi de potentia materiæ, ſed à Deo creari. Ac per conſequens ab allegatis Philoſophis perſpectam fuiſſe animæ immortalitatem naturaliter.

XIII.

Noſter Abbas Panormit. lib. 4. de Alphonſi geſtis.

DEnique ſapientiſſimus Hiſpaniarum Rex Alphonſus, non ut theologus, neque ut philoſophus Chriſtianus, ſed philoſophicâ tantùm experientiâ ductus, dixit: *maximum argumentum immortalitatis ſibi videri, quòd corpora in hac vita decreſcere, ac per omnia membra ſuos quaſi fines & terminos habere videret: animos autem, quantò ad plures accederent annos, tantò magis intelligentiâ, virtute, & ſapientiâ creſcere. &c.*

§. 78.

Quomodo philoſophicè demonſtratur animæ immortalitas?

APODIXIS I. PHILOSOPHICA.

apud D. Th. lib. 2. contra Gent. c. 79.

OMnis ſubſtantia intellectualis eſt incorruptibilis: anima autem omnis hominis eſt ſubſtantia intellectualis: omnis igitur anima humana eſt incorruptibis. Major ex dicendis conſtabit. &c.

II.

NUlla res corrumpitur ex eo, in quo conſiſtit ſua perfectio (hæ enim mutationes ſunt contrariæ, ſcilicet ad perfectionem, & ad corruptionem) perfectio autem animæ humanæ conſiſtit in abſtractione quadam à corpore (perficitur enim anima ſcientiâ & virtute: ſecundùm ſcientiam autem tantò magis perficitur, quantò magis immaterialia conſiderat, virtutis autem perfectio conſiſtit in hoc, quòd homo corporis paſſiones non ſequatur, ſed eas ſecundùm rationem temperet, & refrænet) non ergo corruptio animæ conſiſtit in hoc, quòd à corpore ſeparetur, ergo &c.

III.

PRoprium perfectivum hominis, ſecundùm animam, eſt aliquid incorruptibile: propterea enim operatio hominis, in quantum hujusmodi, eſt intelligere (per hanc enim differt à brutis, & plantis, & inanimatis) intelligere autem eſt univerſalium & incorruptibilium, in quan-

Digitized by Google

quantum hujuſmodi (perfectiones autem oportet eſſe perfectibilibus proportionatas) anima igitur humana eſt incorruptibilis.

IV.

I*Mpoſſibile eſt, appetitum naturalem eſſe fruſtrà: ſed homo naturaliter appetit perpetuò conſervari; quòd patet ex hoc, quòd eſſe eſt, quod ab omnibus appetitur: homo autem per intellectum apprehendit eſſe, non ſolùm ut nunc, ſicut bruta animalia, ſed ſimpliciter: conſequenter ergo homo appetit perpetuitatem ſecundùm animam, quâ eſſe ſimpliciter, & ſecundùm omne tempus apprehendit.*

V.

Q*Uidquid recipitur in aliquo, recipitur in eo ſecundùm modum ejus, in quo eſt: formæ autem rerum recipiuntur in intellectu poſſibili, prout ſunt intelligibiles actu: ſunt autem intelligibiles actu prout ſunt immateriales, & univerſales, & per conſequens incorruptibiles: intellectus igitur poſſibilis incorruptibilis eſt: atquì intellectus poſſibilis eſt aliquid proprium animæ humanæ: eſt ergo anima humana, quæ eſt radix intellectûs incorruptibilis, etiam incorruptibilis.*

VI.

E*Sſe intelligibile eſt permanentius, quàm eſſe ſenſibile: ſed id, quod ſe habet in rebus ſenſibilibus per modum proprium primi recipientis, eſt incorruptibile ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſcilicet materia prima: maximè ergo intellectus poſſibilis, qui eſt receptivus formarum intelligibilium: ergo & anima humana, cujus eſt intellectus poſſibilis incorruptibilis proprietas.*

VII.

F*Aciens eſt honorabilius facto, ut etiam Ariſtoteles docet: ſed intellectus agens facit actu intelligibilia: intelligibilia autem actu, in quantum hujuſmodi, ſunt incorruptibilia: ergo præcipuè intellectus agens erit incorruptibilis; ergo & anima humana, cujus lumen eſt intellectus agens. ergo &c.* *Ariſt. 3. de anima. t. 19.*

VIII.

N*Ulla forma corrumpitur, niſi vel actione contrarij, vel per corruptionem ſui ſubjecti, vel per defectum ſuæ cauſæ: atquì animæ humanæ inprimis nihil eſt contrarium, quia ſecundùm intellectum poſſibilem receptiva eſt, & cognoſcitiva conſequenter omnium contrariorum:* *ecce evidentē prolationem majoris propoſitionis 1. ſyllogiſmi.*

Digitized by Google

ergo &c. Similiter autem neq; per corruptionem ſubjecti ſui, quòd anima humana eſt forma non dependens à corpore ſecundùm ſuum eſſe, (aliàs quoad intelligere dependeret:) ſed anima ſecundùm præcipuam ſuam operationem, ſcilicet intelligere, perficitur in relinquendo corpore, ut dictum eſt: ergo &c. ſimiliter neq; per deficientiam ſuæ cauſæ: quia, cùm illa ſpiritualis ſit & æterna, hæc etiam æterna & incorruptibilis ſimpliciter eſt. (cauſa enim animæ eſt DEUS, à quo in fieri, & eſſe, & conſervari dependet) ergo &c.

I X.

D. Aug. lib. 2. ſoliloq. c. 3.

OMne, quod in ſubjecto eſt, ſi ſemper manet, ipſum etiam ſubjectum maneat ſemper, neceſſe eſt: atqui in animo rationali, tanquàm in ſubjecto, eſt diſciplina veritas, quæ ſemper manet: ergo & ſubjectum, quod eſt anima hominis, ſemper manet. Immortalis igitur eſt, ſicut & ipſa veritas, quæ æterna eſt.

X.

Cur veritas perire non poteſt?

D. Aug. de vita beat. diſp. 3.

VErum & veritas duæ res ſunt: ſed veritas vero eſt præſtantior: quia ſicut caſto non fit caſtitas, ſed è converſo, ita quod verum eſt, veritate verum eſt: unde, etſi quod eſt verum, moriatur, veritas tamen omninò interire non poteſt. Quia ſi veritas moreretur, adhuc verum eſſet, quòd veritas eſſet mortua: & ſic veritas adhuc daretur: veritas ergo nullo modo occidet, ſed in æternum permanebit: ſubjectum ergo, in quo eſt veritas, ſcilicet intellectus, incorruptibile erit, & æternum: ergo & anima, ſine qua implicat conſiſtentia intellectûs: ergo &c.

§. 79.

Nunquid Ariſtoteles, ſecundùm D. Thomam, aſſertor eſt immortalitatis animæ rationalis?

Affirmat. Reſp.

D. Th. lib. 2. cont. Gen. c. 79. & l. 3. de anim. t. 20. lect. 10.

HOc etiam primò apparet (inquit D. Th.) per authoritatem Ariſtotelis: dicit enim in 1. de anima, quòd intellectus videtur quædam ſubſtantia eſſe, & non corrumpi. Quòd autem

Digitized by Google

tem hoc non poſſit intelligi de aliqua ſubſtantia ſeparata, quæ ſit intellectus poſſibilis, vel agens, ex præmiſſis haberi poteſt. 2. Apparet ex ipſis verbis Ariſtotelis in 12. metaph.* ubi dicit (contra Platonem loquens) quòd cauſæ moventes præexiſtunt, cauſæ verò formales ſunt ſimul cum his, quorum ſunt cauſæ: quando enim ſanatur homo, tunc ſanitas eſt, & non priùs. ex his 3. poſtmodum ſubdit:* *Si autem & poſterius aliquid manet, perſcrutandum eſt; nam in quibusdam nihil prohibet: ut ſi eſt anima talis, non omnis, ſed intellectus.* Ex quo patet, cùm loquatur de formis, quòd vult, intellectum, qui eſt forma hominis, poſt materiam manere, ſcilicet poſt corpus. Patet autem ex præmiſſis verbis Ariſtotelis, quòd licet ponat animam eſſe formam, tamen ponit eam ſubſiſtentem. & per conſequens non corruptibilem, ſicut Gregorius Nyzenus* ei imponit, nam à generalitate aliarum formarum animam intellectivam excludit, dicens: eam poſt corpus remanere, & ſubſtantiam quandam eſſe. Præmiſſis autem ſententia catholicæ fidei concordat; dicitur enim in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus: *ſolum hominem credimus habere animam ſubſtantivam, quæ & exuta corpore vivit, & ſenſus ſuos atq; ingenia vivaciter tenet, nec cum corpore moritur, ſicut Arabs aſſerit: neq; poſt modicum intervallum, ſicut Zenon; quia ſubſtantialiter vivit.* Quid ad hæc Pneumocoſmice? ſi ſolus homo habet animam ſubſtantivam (hoc eſt, ſubſiſtentem in ſtatu ſeparationis) anima leonis non eſt incorruptibilis: ac per conſequens non datur ſpiritus mundi incorruptibilis; datur ergo generatio, & corruptio ſubſtantialis: ergo &c.

text. com. 65. *text. com. 16.* *text. com. 17.* *lib. 2. de philo. c. 4. & 6.* *cap. 20.*

§. 80.

Nunquid Ariſtoteles de animæ immortalitate alibi clariùs loquitur?

Affirmat. Reſp.

INtellectus (inquit) *ſeparatus eſt ſolum hoc, quod verè eſt: & hoc ſolum immortale, & perpetuum eſt. Porrò, eo ſeparato, non eſt in nobis ullus memoriæ locus: eò quòd ſit impatibilis, nihilq; accipere poſſit.*

Ariſt. lib. 3. de anim. t. 20. c. 5.

Digitized by Google

Quid ad hæc D. Thomas?

DIcit ergo 1. in præſenti: quòd *ſolus intellectus ſeparatus eſt hoc, quod verè eſt.* Quòd quidem non poteſt intelligi, neque de intel-
t. c. 7. & 19. lectu agente, neque de intellectu poſſibili tantùm; ſed de utroque ſupra dixit: * quòd eſt ſeparatus. & ſic patet, quòd hìc loquitur de tota parte intellectivâ, quæ quidem dicitur ſeparata ex hoc, quòd habet operationem ſuam ſine organo corporali. & quia in principio hujus libri dixit, quòd ſi aliqua operatio animæ ſit propria, contingit animam ſeparari, concludit: quòd hæc ſola pars animæ, ſcilicet intellectiva, eſt incorruptibilis & perpetua. & hoc eſt, quod ſupra poſuit in 2. text. comm. 21. quòd hoc genus animæ ſeparatur ab alijs, ſicut perpetuum à corruptibili. Dicitur autem perpetua, non quòd ſemper fuerit, ſed quòd ſemper erit. Unde Philoſophus dicit in 12. metaph. quòd forma nunquam eſt ante materiam, ſed *poſterius remanet anima, non omnis, ſed intellectus.*

§. 81.

Nunquid in textu græco habentur illa verba: ſeparatus autem eſt ſolum hoc, quod verè eſt? *ſi enim ſeparatus intellectus verè ſubſiſtit: procul dubiò immortalis eſt.*

Affirmat. Reſp.

PAtet hanc eſſe iſtius textûs interpretationem, ſi deligenter & textus Ariſtotelis, & græcus loquendi modus conſideretur. Ubi enim textus noſter habet, *quod verè eſt*, textus græcus habet ὅπερ: quæ dictio apud Græcos proprij ſignificati eſt demonſtrativa. Sic enim ait Suidas: τοῦτο τὸ ὅπερ, ὃ κυρίως ἐστὶ δηλωτικὸν: καὶ ᾧ ἂν προστεθῇ, τὸ κυρίως ἐκεῖνο σημαίνει. οἷον ὅπερ ἄνθρωπος, ὁ κυρίως ἄνθρωπος· καὶ ὅπερ ὄν· καὶ ὅπερ ἀγαθὸν· τὸ κυρίως ἀγαθόν. hoc eſt, hæc dictio ὅπερ, eſt id, quod verè proprij ſignificati eſt demonſtrativa, & cui ſanè fuerit appoſita, propriè illud eſſe ſignificat: v. g. quod verè eſt homo ſignificat propriè hominem, & quod verè ens, & quod verè bonum, ſignificat propriè ens, & propriè bonum. Cùm ergo textus Ariſtot. habeat χωρισθεὶς δὲ ἐστι μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστί. id eſt, *ſeparatus*

autem

autem eſt tantùm hoc, quod verè eſt, vel ſecundùm hoc, quod verè eſt: ſenſus eſt, quòd intellectus ſolùm ſecundùm proprium nominis ſignificatum eſt ſeparatus, non autem ſecundùm improprium ſignificatum, prout cogitativa impropriè & ſimilitudinariè dicitur intellectus. ac per conſequens textus græcus quoad ſubſtantiam concordat latino. ergo &c.

§. 82.

Nunquid ex modo loquendi Ariſtotelis de beatitate humana elicere poſſumus animæ immortalitatem?

Affirmat. Reſp.

I.

FÆlicitas contemplativa (inquit Philoſophus locis infra citandis) *eſt actio interna ejus partis, quæ cæteris animæ partibus & potentijs imperat, quæq; ſcientiam rerum honeſtarum, ac divinarum comprehendit: mens autem, quæ divinitùs homini conceditur, eſt hæc pars animi: fælicitas ergo contemplativa in hac reponenda eſt parte.*

I I

*COntemplativa fælicitas veriſſimè dicitur fælicitas: * nam intellectus eſt omnium, quæ nobis inſunt, diviniſſimum. contemplatio autem eſt propria intellectûs actio: fælicitas igitur in intellectu poſita, contemplatio eſt.* * NB.

I I I.

ACtio, in qua conſiſtit beatitudo, debet eſſe perpetua: ſola autem mentis contemplatio perpetua per ſe primò intelligitur: mentis igitur contemplatio eſt eſſentialiter beatitudo.

I V.

SImplici ac vera fælicitati annecti debet ſimplex atq; perpetua delectatio, eadémq; ſecundùm perfectiſſimam virtutem: hæc autem in ſola contemplatione, & ſapientiâ admirabilem delectationem protuberante, reperitur: veriſſima igitur fælicitas ac eſſentialis in ſola contemplatione conſiſtit.

Digitized by Google

V.

NIhil expeti debet in vera fœlicitate præter ipſam fœlicitatem: nihil autem in vera contemplatione præter ipſam expetitur: vera igitur contemplatio eſt fœlicitas.

V I.

Lib. 2. de gen. c 3. l. 2. major. Metaph. c. 3. l 7. de rep. c. 15. l. 1. de anim. c. 4. tex. 66. & l. 3. de anim. text. 3 &c.

MEns ſola extrinſecùs accedit, (hoc eſt, à ſolo Deo creatur, juxta illud Ciceronis: *animorum nulla in terris origo &c.*) *eáq; ſola divina eſt. Nihil enim cum ejus actione communicat actio corporalis. Unde qui mentem, quemadmodum in hominibus quoad directionem, ſic etiam in natura & mundi totius ordinis cauſam eſſe cenſuit, is quaſi ſapiens exſtitit. Mens divinum quiddam eſt, patiq; non poteſt. Quinimò impatibilis ſit mens, neceſſe eſt: eamq; vim habeat, ut & ſpecies rerum recipere; & talis eſſe poſſit, non autem ſit ipſa res.* Hæc Ariſt. atqui quod creatum, quod divinum, quod ſpirituale, & quod ſimpliciter impatibile eſt, incorruptibile etiam & immortale eſt: ergo & anima rationalis, de qua hæc aſſeruntur, immortalis eſt: ergo &c.

V I I.

Ariſt. l. 10. ethic. c. 7. l. 1. de cœlo. l. 3. de anim. l. de mundo. libris poſtrem. metaph. l. 2. de gener. cap. 3. lib. 1. major. metaph. c. 3.

IN quiete & tranquillitate maximè floret fœlicitas: contemplatio autem inter omnes functiones humanas eſt maximè quieta & tranquilla: in ea igitur per ſe primò & abſolutè conſiſtit fælicitas. Quamobrem ſicuti negotia ſuſcipimus, ut in otio, & bella gerimus, ut in pace vivamus, ita operam navamus difficili praxi politica virtutis, ut in portu & quiete theorica felicitatis triumphemus. ex his omnibus infert Ariſtoteles: *ea igitur vita beatiſſima eſt, quæ ſolâ mente & ſapientiâ regitur. Hæc verò vita* (concludit ipſe) *melior eſt, quàm ut attribuere eam ſibi homo debeat: eam quippè agit, non quia homo eſt, ſed quia in eo divinum quiddam incluſum eſt* (ſcilicet mens) *quod quantò præſtat ei, quod concretum eſt* (id eſt, corpori) *tantò ejusdem actio ei, quæ à voluntate proficiſcitur, antecellit. Ut enim divinum quiddam mens eſt: ſic vita ei congruens divina eſt. Omnes ergo debemus, quoad poterimus, niti ad immortalem gloriam, omniaq; perficere, ut vitam ex eo* (*ſcilicet formato intellectu*) *degamus, quo nihil eſt nobis præſtantius. Indignum enim eſt, ſi quis non ſuam, ſed alienam vitam agat. Quouſq; igitur contemplatio ſeſe extendit, eouſq; ſeſe extendit & fœlicitas ipſa, & quibus contemplatio magis ineſt, non per accidens quidem, ſed per ipſam utiq; contem-*

Digitized by Google

templationem. hac enim per ſe ipſam eſt ſpecioſa: fœlicitas ergo contemplatio eſt. hæc omnia ex Ariſtotele, qui in articulo mortis (teſte Delphio in lib. de mort. & geſt. Ariſt.) his verbis animæ immortalitatem aſſerens, diſcipulis ultimam dixit ſententiam, & vale: *fœdè in hunc mundum intravi, anxius vixi, perturbatus egredior, quò vadam, neſcio. Cauſa cauſarum miſerere mei.* Lege Virgil. 5. Æned. & 2. Geor. Ovid. & alios Poëtas agentes de campis Elyſijs. *lib 7. de repub. c. 15.*

Quis, omnibus his benè intellectis, inficias ibit, quòd Ariſtoteles animæ ſapuerit immortalitatem? quid? eſtne res divina mens, & tamen concidit? eſtne ſic in ea beatiſſimæ vitæ perpetuitas, & tamen corruit? eſt ne in illa ſimilitudo deitatis, & in nihilum terminatur? abſit hoc à mente Philoſophorum, qui in Peripatetica doctrina utcunque ſunt exercitati. Neque Philoſophus eximius ſibi eſt contrarius in 1. de cœlo dicenti text. 126. *omne generabile eſſe corruptibile.* & in 1. de animâ text. 12. *intellectum non eſſe ſine phantaſia.* & in 3. de anim. text. 29. *intelligentem phantaſmata ſpeculari.* & 12. Metaph. text. 16. *animam intellectivam incipere eſſe in corpore, & non eſſe poſt ipſum.* Et in 3. de anima. *intellectum paſſivum mori.* Et 1. Ethic. cap. 10. contra Solon: *fœlicitatem hominis poſthanc vitam non manere.* & 3. phyſ. *neganti infinitum ſecundùm multitudinem*, & in 8. lib. phyſic. docenti: *mundum eſſe ab æterno*: ex qua poſitione ſequitur, vel quòd anima rationalis ſit mortalis, vel, quòd detur numerus infinitus animarum. Non inquam, ſibi eſt contrarius, ſi ſanâ mente textus exponantur Ariſtot. ut expoſuit Angelicus Doctor 1. p. q. 75. & 2. contra Gent. c. 79. & in comment. in lib. de anim. Phyſicor. & Metaphyſicor. &c. Ut ex dictis manifeſtè conſtat. Concludimus igitur cum S. Joann. Chryſoſt. ſermon. 4. de providentia, quòd *Philoſophi, qui de anima immortalitate dubitant, poſſunt etiam dubitare, an ſit dies in meridie.* Hæc incidenter dixerimus in gratiam cujuſdam Theodidacti, negantis animæ rationalis immortalitatem naturaliter, & ſolâ fide illam confitentis (ſed de hoc ex profeſſo, Deo permittente, in curſu philoſophico) & ſimul quoad argumentum noſtri Dialogiſmi philoſophici ex Philoſophis ſufficiant.

Digitized by Google

§. 83.

Nunquid Chriſtus veritas & vita, vivere animam poſt depoſitionem corporalis ſarcinæ, palàm docuit?

Affirmat. Reſp.

Math. 22. *IN illo die acceſſerunt ad eum Saducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum, dicentes: Magiſter, Moyſes dixit: ſi quis mortuus fuerit, non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. erant autem apud nos ſeptem fratres, & primus, uxore ductâ, defunctus eſt: & non habens ſemen, reliquit uxorem ſuam fratri ſuo. ſimiliter ſecundus, & tertius, uſq; ad ſeptimum. noviſſimè autem omnium & mulier defuncta eſt. in reſurrectione ergo cujus erit de ſeptem uxor? omnes enim habuerunt eam. Reſpondens autem JESUS ait illis:*

Divinum Reſponſum.

Math. 22. *ERratis, neſcientes ſcripturas, nec virtutem Dei. in reſurrectione enim neq; nubunt, neq; nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt à Deo, dicente vobis: ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? non eſt Deus Deus mortuorum, ſed viventium. & audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus, &c.* Si ergo Deus non mortuorum eſt, ſed viventium animorum Deus: dubio procul animæ SS. PP. Abraham, Iſaac, & Jacob &c. non fuerunt extinctæ, quando corporalis mortis vitæ Authori ſolvêre tributum: ex hoc teſtimonio legitimè infertur: ergo dantur aliqui animi, qui moriuntur, ſcilicet irrationales, quorum Deus Deus non eſt, quia abſolutè in non eſſe tranſeunt per corruptionem, quod eſt nihil: ſed Deus nihili Deus non eſt: ergo neque animorum brutorum poſt mortem. ergo &c.

II. Primæ Veritatis deciſio.

Math. 22. & Pſal. 15. NOn legiſtis, quod dictum eſt à Deo, dicente vobis: *quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem?*

III. Ne-

III.

Neſcierunt ſacramenta Dei, nec mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum. Sap. 2.

IV.

Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Eccleſ. c. 12.

V.

Nam juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & *non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. Spes illorum immortalitate plena eſt. Juſti igitur in perpetuum vivent.* Sap. 3.

VI.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ & biſſo, & epulabatur quotidie; & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis. Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno: & elevans oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus, & ipſe clamans, dixit: Pater Abraham, miſerere mei. Rogo ergo te, pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei; habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. & ait illi Abraham: habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos: at ille dixit: non, Pater Abraham, ſed ſi quis ierit ad illos, agent pœnitentiam: ait autem illi, ſi Moyſen, & Prophetas non audierunt: neque, ſi ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent. ex novo teſtam. Luc. 16.

§. 84.

Sanctio Concilij ultimi Lateranenſis ſub Leone X. ſeſſion. 8.

Damnamus & reprobamus (ſacro approbante concilio) *omnes aſſerentes animam intellectivam eſſe mortalem: nam ex ſacro conſtat evangelio eſſe immortalem &c.* eadem veritas definitur in concilio Vienn. ſub Clemente V. & refertur in Clementin. 2. de ſumma Trinit. & fide catholica §. porrò.

Digitized by Google

D. Aug. epiſt. 3. ad Voluſian.

Quis nunc (inquit Auguſtinus) eſt extremus idiota, vel quæ abjecta muliercula, quæ non credat animæ immortalitatem? unde veritas hæc non ſolùm eſt habenda tanquam de fide, ſed eſt computanda inter articulos fidei, ad humanitatem Chriſti Domini pertinentes: ſcilicet, *deſcendit ad inferos*: *reſurrexit à mortuis*: *aſcendit in cœlum*: *inde venturus eſt judicare vivos & mortuos*: *carnis reſurrectionem*, *& vitam æternam*. *Nam ſi mortui non reſurgunt* (ut argumentabatur quondam Doctor Gentium) *neq; Chriſtus reſurrexit. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, Primitiæ dormientium. Quoniam per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* ergo &c. His prælibatis, ſequentes ad Theodidacti majorem lucem annectimus deciſiones.

Deciſio I.

Certum eſt ſecundùm fidem, quòd anima rationalis, non ab extrinſeco, & quaſi ex indulgentia ſupernaturali, ſed ex natura rei, & propriâ conditione naturaliter eſt incorruptibilis, & immortalis. *fecit enim Deus hominem inexterminabilem, ad imaginem ſuæ ſimilitudinis fecit illum.* Quocirca Lateranenſe Concilium ſanxit ſeſſ. 8. quòd *anima humana non ſolùm per ſe, & eſſentialiter eſt forma corporis, ſed etiam immortalis.* ac per conſequens Magno noſtro Pontifici Gregorio ſubſcribentes, aſſerimus: quòd anima noſtra nec per vitium nec per ſupplicium amittit eſſentialiter vivere: ex ſua namque natura habet perpetuò vivere &c. aſſerentibus igitur animas brutorum eſſe immortales, reſpondebimus: *nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.*

Concil. Lateran. ſeſſ. 8.

N. M. Greg. PP. l. 4. moral.

Pſalm. 31.

II.

Si Deus juſtus eſt, anima rationalis immortalis eſt; ſed Deus juſtus eſt: ergo anima rationalis immortalis eſt. ita S. Petrus Apoſtolus, teſte S. Clemente Alexandrino, qui lib. 3. recognition. teſtatur, ſe à Beatiſſimo Chriſti Vicario hanc audijſſe veritatem.

Clem. Alex. l. 3. recognit. idem docet Chryſ. Serm. 4. de provid. tom. 5. &c.

III.

Anima rationalis non eſt harmonia, ut ſenſit Empedocles: nec temperies quatuor qualitatum, ut excogitavit Gallenus medicus lib. qui inſcribitur: *animæ humores corporis temperamentum ſequuntur.* Nec eſt numerus, ut aſſeruit Plato. Nec eſt quinta ſubſtantia

Ariſt. l. 3. de anima. Greg. Nyſſen. D. Th. 2. cont. gent. c. 63.

Digitized by Google

ſtantia ex materia ſcilicet & naturâ cœleſti coalita, ut Ariſtoteles adhuc junior ſcripſit (judice D. Auguſt. lib. 22. de civitate Dei c. 11.) qui doctior factus, abs dubio mutavit ſententiam, ut conſtat ex capite primo de reſpir. Quòd autem anima non ſit corpus, oſtendit D. Thomas ſic: * *intelligere non eſt actus corporis, eſt tamen actus animæ: ergo ad minùs anima rationalis non eſt corpus. Deinde: omne movens ſeipſum, componitur ex duobus, quorum alterum ſit movens & non motum, alterùm verò motum: ſed animal eſt movens ſeipſum: movens autem in ipſo eſt anima, motum autem corpus: anima igitur eſt movens non motum: ſed nullum corpus movet, niſi motum: non ergo anima eſt corpus.*

Theodoret. l. de divin. decr. Conimbric. l. de anim. c. 191. D. Th. 2. cont. gent c 65.

IV.

ANima rationalis non eſt ignea, ut Hipaſus Parmenides & Zeno crediderunt. Neque eſt aërea, ut Anaximander Anaximenes & Anaxagoras putarunt. quorum ſequens Varro ſententiam, ſic animam definivit: *eſt aër ore conceptus, in pulmone deferveſactus, in corde tepefactus, & in corpus diffuſus.* Quibus aſſentiri videtur Virgil. 9. Æneid. in illo verſu: *purpuream vomit ille animam &c.*

Lactant. lib. de opif. Dei

V.

ANima rationalis non eſt particula Deitatis, ut impiè docuerunt Carpocrates, Gnoſtici, Manichæi, Plutarchus, Philo Judæus, Stoici, & alij. Si anima (inquit D. Auguſt.) eſſet divinæ mentis particula: tunc vel Deus eſſet omnino mutabilis, quod à divina natura procul abeſt, vel anima rationalis omnis mutationis expers reddita, verè deificata, ſubſtantialiter ſanctificaretur, ac divino planè modo cognoſcens fieret: & conſequenter nec proficeret in melius, nec deficeret in deterius; quod experientia ipſa condemnat. ergo &c.

Theodoret. lib. de divin. decr. Aug. l. de hær. c. 46. de quæſt. Platon. Conimbric. 2. de anima c. 1. q. 1. a. 6. vid. Chryſ. hom. 13. in c. 2. Geneſ. D. Th. 1. p. q. 90. a. 1. 2. cont. gent. c. 81. N. M Alan. de Inſulis contra Mahomet: Concil. Brachar. 1.

Proſcriptiva ſanctio.

PRopterea, *ſi quis* (definièrunt PP. Concilij Bracharenſis primi) *animas humanas, vel Angelos ex Dei credit ſubſtantia extitiſſe, ſicut Manichæus & Priſcilianus dixerunt, anathema ſit.* Cùm enim in ſcriptura ſancta homines filij Dei, & Dij nominantur, analogica tantùm, non univoca vocum eſt acceptio.

Digitized by Google

V I.

Conc. Brach. 1. col. 6. Leo 1. epiſt. 99. ad Turibium. Epiph. epiſt. ad Epiſc. Joan. Hieroſolymit. Ariſt. 12. Metaph. D Th. 2. cont. gent. c. 63.

ANima rationalis non fuit creata ab æterno, & extra corpus, ut aſſeruit Origenes, & ſcripſit Plato in timæo, ſed in tempore, & intra corpus ultimatè diſpoſitum. Unde meritò damnatur iſta poſitio in Concilio Bracharenſi primo. column. 6. & à Leone 1. epiſt. 99. ad Turibium, his verbis expungitur: *eos Catholica fides à corpore ſua veritatis abſcidit, conſtanter prædicans, atq; veraciter, quod hominum animæ, priùs quàm ſuis inſpirentur corporibus, non fuerint.* Origenis errorem debellavit Apoſtolus Rom. 9. dicens: *antequàm aliquid boni, vel mali egiſſent &c.* ac proinde, *ſi per unum hominem peccatum introivit in hunc mundum*, Rom. c. 5. non per unam animam ſeparatam: ergo &c.

V I I.

conſtat. ex hiſtor. tripart. S. Hier. epiſt. 17. ad Damaſ. S. Bern. ſerm. 17. in cantic. Cyrill. l. 1. in Joan. c. 9. Greg. Nyſſ. Chriſoſt. & D. Th. 2. contra Gent. c. 87.

ANimæ rationales non creantur ab Angelis (ut poſt Avicennam docuerunt Hermias & Galatæ, à quibus Meſſalianorum hæreſis proſeminata eſt. Utriſque etiam conſciſcunt perfidi Judæi, ut Trinitatem non convincantur admittere ex illo Geneſ. 1. *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*) ſed à ſolo Deo, univerſorum creatore, producuntur. Iſta veritas comprobata eſt à Leone 1. in epiſt. 99. ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem, in qua determinat, animas à nullo creari, præterquam à Deo. Concludimus igitur cum D. Thoma: Angelos ad creationem, quæ ex nullo præſuppoſito ſubjecto fit, inhabiles eſſe, utpote finitæ virtutis.

§.

SI animæ non fuerunt ab Angelis creatæ ob limitationem virtutis, non ergo mundus iſte viſibilis ab Angelis conſervatur. Concedimus conſequentiam, & curſim.

Vanitas de 30. Æonibus diſſlatur.

Videantur Apodixes Philoſophicæ initio Dialogiſmi 1. theologici in 1. p. D. Thom.

ÆOnes non ſunt creatores Univerſi: non enim ſunt efficacioris virtutis, quàm Deus, quoad creare & conſervare: ſolus autem Deus creare potuit: ergo & conſervare. 2. aut Angeli condiderunt mundum in his, quæ Deo continentur, aut extra Deum? ſi in his, non potuit ignorare & nolle: ſi extra eum, Deus erit fini-

finitus. 3. Si ab Angelo (Deo tamen volente) mundus eſſet factus, adhuc Deus author verus eſſet & conſervator univerſi, cùm non ſecuris, ſed homo dicatur ligna ſcindere. Adhæc: aut potens prohibere, conceſſit per neceſſitatem quandam, aut non potens: ſi non poterat, invalidus eſt: ſi poterat, ſeductor eſt & hypocrita, non conſentiens quidem, concedens autem, quaſi conſentiens. 4. Tot rerum ſpecies, quot in mundo reperiuntur, non poſſunt eſſe imagines triginta Æonum; nam (præter quàm quod illarum progenitores contemptibiles forent, & proinde alij mali, & alij boni) nulla creatura corporalis habitum præſefert, aut figuram Æonum, ac proinde neque horum terminare poteſt aliqualem umbram. Spiritualia quippè, ut Æones, nullam ſpargunt umbram; alias creata erunt æterna, aut Æones porrò cadivi; utrumque falſum: ergo &c. Propterea aſſerendum nobis eſt, vanitatem primæ magnitudinis, & ſterilis phantaſiæ fætum eſſe, & recognoſcere 30. Æones conditores univerſi, & admittere Patrem rerum omnium, & Regem univerſorum creaſſe Demiurgum, qui ex metu & ex triſtitia, ac deſperatione, quibus affecta fuerat Sophia ob contemptum Bithi, produceret animalia, Diabolos, & mundi elementa, &c.

VIII.

NOn ſunt, aut fiunt animæ per ſeminalem propagationem, ut olim dixerunt hæretici Luciferiani, ut refertur in libro de dogmatibus Eccleſiaſticis. Iſta deciſio habetur in Decretal. 32. q. 2. c. Moyſi. Per hoc autem excluditur (inquit D. Thomas.) *error Apollinaris & aſſeclarum ejus, qui dixerunt animas ab animabus generari, ſicut à corporibus corpora. Si enim anima per ſeminalem propagationem traduceretur à generante, ipſa materialis eſſet, & conſequenter mortalis. Quiſquis ergo* (concludit Doctor Angelicus) *ſentit, animam rationalem ex propagatione deſcendere, & profluere, hæreticus eſt.*

Decretal. 32. q. 2. c. Moyſi. D.Th.2. cont. Gent. c. 86: Aug. lib. de hæreſ. D. Th. 1. p. q. 118.

IX.

COntra Platonem in Alcibiade, Themiſtium, Philoponum, Averroëm, Anaxarchum, & ejuſdem farinæ alios, definitivè aſſerimus: animam rationalem eſſe veram, & propriam formam corporis, nedum quoad ſentiendi & vegetandi gradum, ſed etiam quoad ſubſtantialem intelligendi virtutem. Hæc etiam deciſio roboratur ſanctione Concilij Viennenſis ſub Clemente V. Anno

Concil. Vien. ſub Clemente V. An. 1301.

no 1300. in Clementin. *ad Noſtrum. de ſumm. Trinit.* quæ ſic habet: *doctrinam omnem, ſeu poſitionem omnem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectiva, verè & per ſe hominis forma non ſit: veluti erroneam, & veritati Catholicæ fidei inimicam, prædicto ſacro Concilio approbante, reprobamus, definientes: quòd qui deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis ſeu intellectiva, non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter, tanquàm hæreticus ſit cenſendus. Idem definierunt* PP. Lateranenſis Concilij ſub Leone 10. ſeſſ. 8. *Damnamus* (inquiunt) *& reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam mortalem eſſe, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes; cùm illa non ſolùm verè, & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verùm etiam immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis.* Ubi eſt ergo ſpiritus mundi, qui ſit ſubſtantia rationalis?

Concil. Later. ſub Leone 10. ſeſſ. 8.

X.

CUm Ariſtotele, & Sanctis PP. Auguſtino, Chryſoſt. & Gregorio Nyſſ. ſtatuimus contra fatuos Calviniſtas, animam rationalem, utpote ſpiritualem, eſſe realiter indiviſibilem, & conſequenter totam eſſe in toto corpore, & totam in qualibet parte corporis ſubſtantialiter, ſed non totaliter, & ſecundùm potentias proximas, ſeu accidentales operandi virtutes, intellectum ſcilicet, & voluntatem, & reliqua. Idcirco audiendi non ſunt antiqui Philoſophi, quorum alij ut Philo judæus in corde tantùm; alij ut Parmenides & Epicurus in ſolo pectore: alij, ut ſtrato phyſicus, in ſuperciliorum meditullio; alij, ut Eraſiſtratus, in membranulis: alij, ut Herophylus, in cerebri concavo, ſive baſi: alij, ut Hipocrates, in cerebro duntaxat; alij, ut Socrates, in vertice: alij in toto capite velut in arce; alij tandem in abdito quodam & tenebroſo loco, è quo, quaſi araneum ad muſcas capiendas, pro rerum opportunitate diſcurrentem, animam poſuerunt.

Aug. c. 7. de anima. t. 90. apud Durandum in 1. diſt. 8. q. 3. Sixt. Sen. lib. 1. Bibliothec. annotatione 8.

X I.

CUm Synodo Conſtantinopolitana V. tempore Juſtiniani Cæſaris celebratâ, firmiter ſtatuimus, & declaramus: animarum tranſmigrationem, à Platone in Phædone confictam, eſſe forma-

Synod. Conſtantinop. V.

Digitized by Google

maliſſimam inſaniam. Eos (inquit ipſe ibidem) *qui ventri, petulantiæ, gulæq; dediti vitam egerunt, nec quicquam penſi pudoriſq; habuerunt, decens eſt, aſinorum formas, & hujuſmodi brutorum ſubire: qui verò injurias, tyrannides &c. præ cæteris ſecuti ſunt, in luporum, accipitrum, milvorum genera par eſt tranſire. abeunt enim in genera quælibet, quibus in vita mores ſimiles contraxerunt.* Eapropter Pythagoras dixit, ſe fuiſſe Euphorbum, *cui pectore quondam* * *hæſit in adverſo gravis haſta mucronis Atridæ.* Empedocles in ſuis carminibus, pari imbutus ſtultitiâ, fatetur etiam, ſe piſcem olim fuiſſe; & hac de cauſâ Pythagoræi (referente Tertulliano in apologetico contra Gentiles cap. 40) ſcelus reputabant pecoribus veſci, ne bubulam de aliquo proavo quiſquam obſonaret. Hoc delirium ab Ægyptijs participarunt Græci, quibus inſipientes Albanenſes & Albigenſes hæretici ſubſcribere non erubuerunt.

* *Verſu.*

XII.

CUm Angelico præceptore & SS. PP. ſtatuimus contra Adamantium, animam rationalem, utpotè ſubſtantiam incompletam, & corporis formam, ſpecie diſtingvi ab Angelis; & conſequenter poſtliminio mittendus venit inſipiens Heſiodus, qui temerè ſcripſit, Patriarcharum animas ob cultum probitatis, vel improbitatis mutatas eſſe in Angelos cuſtodes, vel Dæmones. Cui Plato (ut refert S. Auguſt.) ſuffragari videtur: quandoquidem docuit ex hominibus fieri Lares, ſi meriti boni ſint, Lemures verò ſeu larvas, ſi mali. Heſiodi ineptias Proculus in Alcibiad. Platonis refellit, & illum ſimul deriſit. *Non admittimus* (inquit) *eos, qui Dæmones ajunt noſtras eſſe animas hac vitâ jam functas, in aliámq; translatas.* Nobis autem ſufficiat ſtultorum ora præcludere verbo veritatis: *factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Ecce animam S. Lazari, quæ non eſt converſa ob ſuam ſanctitatem in Angelum bonum, ſed ab Angelis bonis, *qui ſemper vident faciem æterni Patris in cælis*, in ſinum Abrahæ, non verò in ſinum Angeli, deportatam. *Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno, & elevans oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus.* Ecce divitem non converſum in Lemurem, videntem Abraham, & Lazarum in ſua forma

D.Th.2. cont. gent. c.74. & 94. 1.p.q.75. a 7. in qq. diſputat. q. de anima a. 7. ad 1.
S. Aug. lib. 9. de civit. Dei c. 11. & lib. de hæreſ.
Chryſoſt. homil. 39. in c. 8. Math.
Luc. 16.

ma

ma permanentem, non autem Angelos bonos in cœlis beatos. Propterea dico vobis: *erratis neſcientes ſcripturas, nec virtutem Dei; in reſurrectione enim neq; nubunt, neq; nuptui dantur* (neque erunt Angeli Dei) *ſed ſicut Angeli Dei in cælo.* ergo &c.

Replica Theodidacti.

SI animæ immortalitas naturali rationis lumine probatur, non tenemur credere, quòd ſit immortalis, ad quid ergo adducuntur ſacræ ſcripturæ teſtimonia.

§.

SATISFACTIO.

D.Th.1. cont. gent. c. 4. in fine. 2. 2. q. 8. a. 4. SAlubriter (inquit D. Thomas) *divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ratio inveſtigare poteſt, fide tenenda præciperet, ut ſic omnes de facili poſſent divinæ cognitionis participes eſſe, & abſq; dubitatione & errore. hoc eſt, quod* Epheſior. 4. *Epheſior. 4. dicitur: jam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant in vanitate ſensûs ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum. &* Iſai. 54. *Iſai. 54. ponam univerſos filios tuos doctos à Domino. Inveſtigationi enim rationis humanæ plerumq; falſitas admiſcetur propter debilitatem intellectûs noſtri in judicando, & phantaſmatum permixtionem: & ideò apud multos in dubitatione remanent ea, quæ ſunt veriſſimè etiam demonſtrata, dum vim demonſtrationis ignorant, & præcipuè cùm videant à diverſis, qui ſapientes dicuntur, diverſa doceri; & ideò oportuit per vim fidei, fixâ certitudine ipſam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. &c.* Ad hæc: D.Th. 1. p. q. 2. a. 2. ad 1. *Deum eſſe, & alia hujuſmodi* (concludit D. Thomas) *quæ per rationem naturalem nota poſſunt eſſe de Deo, ut dicitur* Rom. 1. * *non ſunt articuli fidei, ſed præambula ad articulos: ſic enim fides præſupponit cognitionem naturalem, ſicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile: nihil tamen prohibet illud, quod ſecundùm ſe demonſtrabile eſt & ſcibile, ab aliquo accipi ut credibile, quia demonſtrationem non capit,* ut ab Academico, qui evidenter nihil ſe ſcire fatetur.

* *NB. Pneumocoſmice.*

§. 85.

Digitized by Google

§. 85.

DIALOGISMUS V.

Contra ſuperſtitioſam divinationem.

Quid juxta D. Thom. de ſuperſtitioſa divinatione dicendum eſt?

Analyſis doctrinæ Angelicæ.

ex D. Th. q. 95. 2. 2.

DIvinatio atque prædictio eorum futurorum eventuum, qui ex cauſa liberâ, atque in utramque partem ſolutâ pendent, quique non in ſuis cauſis, ſed in ſe ſolùm cognoſcuntur, ad Dei ſolius inſcrutabilem ſapientiam pertinet; neque ab homine (niſi divino ſpiritu afflatus eſſet) ſine ſuperſtitionis peccato uſurpari poteſt; & multò minùs illa, quæ per Cacodæmonis invocationem, & operam perficitur futurorum prædictio. Porrò ſuperſtitioſæ divinationes, temerè & impiè ab hominibus uſurpatæ, variæ ſunt multiplicéſque ſpecies, quæ tamen omnes ad duo genera reducuntur: ad divinationem nimirum, in qua expreſſa ineſt maligni ſpiritûs invocatio, & divinationem, cui malignus ſpiritus per curioſas & vanas cæremonias ſe clam immiſcet: ad quod poſterius genus pertinet fortuitorum, & eorum, qui ex libero hominis arbitrio pendent, futurorum eventuum cum certitudine ex aſtris prædictio. Item, ex ijs ſomnijs divinatio, quæ cum divinitùs immiſſa non ſint, ultra naturalis ſuæ facultatis terminos extenduntur. Præterea omen & augurium, quæ ordinem, à natura, vel divinâ providentiâ conſtitutum, non ſequuntur. Ea quoque per ſortes divinatio, & rei occultæ inquiſitio, in qua vel ad aſtra, vel ad fortunam, vel malignos ſpiritus humanarum actionum eventus referuntur: ad ſecundum divinationis genus pertinet. Ea verò rerum occultarum per ſortes inveſtigatio, quâ ritè divini Numinis voluntas exquiritur, & in qua humanorum actuum moderatio divinæ providentiæ adſcribitur, licita eſt; & frequenter à Patribus tum veteris, tum novi teſtamenti uſurpata.

Digitized by Google

§. 86.

Explicato fuſiùs mihi divinationis execrandas ſpecies.

Sub deteſtationis conditione auſculta, quot recenſentur communiter.

I.

PRima eſt *Geomantia*, divinatio ex terra. Hujus artis magiſterium ex quibusdam punctis non numeratis, caſu & fortuitò terræ impreſſis, & per ſexdecim lineas versùs ſiniſtram deductis, colligitur. Has punctuales lineas Geomantæ per paritatis & imparitatis exceſſum ad certas, punctis etiam conſtantes, figuras reducunt, quæ ſeptem Planetas, duodecim ſigna Zodiaci, caput, caudámque Draconis, ipſa quoque quatuor elementa in hoc mundo inferiori (ut volunt) repræſentant: eorúmque omnium vim, naturam, & poteſtatem mirabili quodam corporum ſuperiorum influxu, & cæleſti irradiatione interveniente, præſeferunt. Hujusmodi artem, Aſtrologiæ judiciariæ ſummam & ſubtilem abbreviationem ejus vocitant: per quam omnes quæſtiones ſibi propoſitas, adhibito judicio, reſolvunt, & ad omnia quæſita ex tempore reſpondent. De èa Caldæi, Indi, & Ægiptij primi ſcripſerunt. inter Recentiores verò Petrus Aponenſis de Albano. Gerardus Cremonenſis. Joannes Geber. Bartholomæus Cocles, Chriſtophorus Cataneus, & Nonius Marcellus Saya. Eſt & alia Geomantiæ ſpecies, quæ ex terræ motibus nonnunquàm futura prænuntiat; ut quondam Nicææ accidit, cùm multi Epiſcopi Eudoxio Duce, ejúsque factione congregati, ea, quæ per generale concilium decreta fuerant, oppugnare tentantes, vehementi & ſubito terræ motu præventi, ſtatim animadverterunt, negotium ab eis ſuſceptum Deo ſummè diſplicere, & contra ejus voluntatem fieri; quâ admonitione perculſi omnes, re infectâ & derelictâ, in ſuam provinciam, teſte Functio, redierunt.

II. Hy-

Digitized by Google

II.

HYdromantia non ſine cauſa nomen ſortita eſt, idemque ſonat, quod ex aqua divinatio. Fit enim ex aquarum fluxu & refluxu; ut in Sicilia juxta Meſſanam inter Scyllam & Charibdim ex diverſa maris agitatione incolæ multa ad eorum utilitatem, vel damnum conijciunt. Ad hanc refertur *Lecanomantia*, quæ à pelvi aquâ plenâ nomen habet; qua etiam hac noſtra ætate ad furta detegenda ſæpiſſimè utuntur Itali. Pelvim igitur implent aquâ, pillulásque tres (quas bellotas vocant) cretâ, vel argillâ aquâ madefactâ, ad nucis communis magnitudinem conficiunt, & in medio cujuslibet pillulæ nomen chartæ impreſſum, alicujus ſcilicet eorum, qui furti ſuſpecti ſunt, includunt: v. g. Joannes, Petrus, vel Martinus, addito cognomento, tale quidpiam furatus eſt. Poſtea verò dictas tres pillulas in prædictam aquā proijciunt, murmurantesque, capite denudato, verba quædam barbara & inconcinna proferunt. Quorum omnium virtute (ut ajunt) una ex dictis pillulis diſſolvitur, & charta in ipſa incluſa, ad ſuperficiem aquæ reſurgens, demonſtrat nomen furis.

S. Aug. l. 7. de Civ. Dei ſcribit Numam Pompil. hydromantiā feciſſe: ut videret imagines Deorum vel ludificationes Dæmonū, à quibus audiret, quid in ſacris conſtituere, atq; obſervare deberet, quod genus divinationis Varro à Perſis dixit illatū, quo & ipſum Numā & Pythagorā fuiſſe uſum commemorat.

III.

AËromantia ab aëre dicta divinatio: quòd per aërias impreſſiones futura edocet, ut legitur lib. 2. Machab. c. 5. (paulò ante quàm Hieruſalem ab Antiocho denuò expilaretur) per totam urbem quadraginta ferè diebus viſos per aërem diſcurrentes aurato habitu equites, & quaſi cohortes armatas haſtatorum, equorúmque ordinibus digeſtorum agmina, & concurſus utrinque ſimul, & motus ſcutorum, & ſpicula crebra, diſtrictóſque gladios, telorum quoque jactus. Joſephus etiam de bello Judaico ſcribit, Hieroſolymis currus apparuiſſe in aëre per omnes cœli regiones concurrentes, exercitus etiam penetrantes nubes ipſas, & circumdantes aliquas civitates; quæ omnia nihil aliud prænuntiabant, quàm totius regionis, & civitatis devaſtationem. Eſt & alia Aëromantiæ ſpecies, quæ fit per cœli diſpoſitiones, & planetarum aſpectus fortunatos, vel infortunatos: unde internæ aëris mutationes aſſiduæque proveniunt; ex quibus multa ſecundùm Arabum, & Ptolomæi doctrinam, quæ ad futurum rerum eventum attinent, colliguntur.

lib. 2. Machab. c. 5.

Digitized by Google

I V.

P*Yromantia ex igne divinatio.* Hæc fit per impreſſiones igneas, & viſiones in igne. Sic Argonautæ, in expeditione velleris aurei, per ignis & flammæ apparitiones contra Argonavim maris tempeſtatem, citò futuram, ſocijs prædixerunt. Valerius Max. narrat: Servio Tullo etiam tum dormienti circa caput flammam emicuiſſe: quod prodigium Priſci Tarquinij Regis uxor Tanaquil admirata, Servium, ex ſerva natum, in modum filij educavit, & ad regium faſtigium evexit.

Valerius Max. lib. 1. c. 6.

V.

C*Apromantia* à fumo divinatio appellatur: quando ſcilicet fumus altum petit. Unde veteres olìm ſua ſacrificia Deo grata eſſe judicabant, cùm fumus ex his proveniens rectè in cœlum aſcendebat: contrarium verò, ſi terram versùs deprimebatur. Per fumum etiam manifeſtè apparuit, inimicitiam inter Theoclem & Polinicem Thebanos fratres adhuc poſt diem ſupremum vigere; dicente Ovidio in Ibim:

Et nova fraterno veniet concordia fumo,
Quam vetus accensâ ſeparat ira pyrâ.

V I.

A*Xinomantia ex ſecuri vel aſcia divinatio.* Plinius de gagate lapide loquens: *hoc* (inquit) *dicuntur uti magi in ea, quam vocant axinomantiam: & peruri negant, ſi eventurum ſit, quod aliquis optat.*

Plin. lib. 36. c. 18.

V I I.

B*Otonomantia* ab herba nominata divinatio, ut verbenâ, valerianâ, pervincâ, filice, lunariâ, & cœteris hujuſmodi, quæ vim incantandi habere dicuntur. Antiqui enim magnam vim herbis tribuebant in ſuis incantationibus conficiendis, ut Medea denotat apud Ovidium, & Erichtho Theſala pharmaceutria apud Lucanum lib. 6.

Ovid lib. 7. metamorph. Virg. lib. 6.

V I I I.

C*Leromantia* à ſorte divinatio: ut Virgilianis & Homericis ſortibus in occurſu verſiculorum. Sortes etiam à quibuſdam impijs hominibus ex pſalmorum verſiculis capiuntur. Erant etiam olim Præneſtinæ ſortes; Unde Valerius Max. ſcribit, Luctan-

Valer. Max. lib. 1. c. 4.

Digitized by Google

ctantium (qui primus bellum Punicum confecit) à ſenatu prohibitum fuiſſe, ne ſortes fortunæ Prænestinæ audiret.

IX.

C*Lidomantia* per clavim divinatio; cùm clavis, inſcripto nomine furis ſuſpecti, circumdata & ſacræ ſcripturæ libro alligata, digitisque virgineis ſuſtentata, ſuâ rotatione & volubilitate furtum (ut nonnulli exiſtimant) indicat; poſtquam κλειδομάντες verſus quosdam voce ſubmiſsâ ſuperſtitiosóque murmure ſuſurravit.

X.

K*Oſcinomantia* per cribrum divinatio, ut vult Philippides apud Pollucem. Hujus adeò invaluit uſus in Gallia apud idiotas, ut rem furto ablatam recuperare, & furem cognoſcere cupientes, ad cribrum farinarium, vel ad cerniculum ſetaceum forficibus infixum, recurrant.

XI.

U*Mbilicomantia* divinatio per umbilicum, qua dignoſcunt obſtetrices per nodulos umbilico & ſecundinis adhærentes, quot partus puerpera impoſterum ſit in lucem editura.

XII.

P*Hyſiognomia* conjecturalis cognitio eſt, quâ natura hominum ex aſpectu corporis judicatur, ut de Zopiro legitur.

XIII.

M*Etopoſcopia* humana conjectura eſt, quâ hominis genium ex fronte dijudicatur.

XIV.

C*Hiromantia* vana divinatio eſt, quâ per manuum lineamenta fœlicitates, vel infœlicitates præſagiunt Chiromantici, & hominibus futura prædicunt; qualis fuit Helenus Siracuſius, qui librum edidit, quem inſcripſit chiromanticum augurium. Suidas Poll. lib. 2. & ex neotericis AA. Bartholomæus Cocles Bononienſis. Joann. indaginis de Apione, Nonius Marcellus Saya & alij.

XV.

N*Ecromantia* eſt per mortuos divinatio: quemadmodum legitur 1. Reg. c. 28. de Saule Iſraëlis Rege, qui Pythoniſam conſuluit,

quæ (Saule ita jubente, & requirente) Samuelis umbram evocavit, reſponſáque ab eo accepit. Erichtho etiam Teſſala maga per reſponſum militis mortui Sexto Pompejo omnem Pharſalici belli eventum patefecit.

apud Lucanum lib. 6.

XVI.

AUgurium, quaſi avigerium, vel avigarrium, pro ipſa divinatione ſumitur; erant autem tria divinationis genera in avibus. Nam aliæ volatu, aliæ cantu futura prædicebant; & illæ præpetes, & iſtæ oſcines dicebantur. Erat & tertium genus ex illarum paſtu, videlicet: cùm pullis gallinaceis è cavea depromptis, eſca porrigebatur: ſi avidè tunc edebant, bonum omen; ſin eſcam negligebant, malum. Augur verò dicitur, qui ex volatu, paſtu, aut cantu avium futura divinat; volatu, ut Ovidius:

Ovid.

à læva cavea maſta volavit avis.

Virgil.

& Virg. *Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.*

à paſtu, ut de pullis gallinaceis dictum eſt: à cantu, ut Virgil.

Soláq; culminibus ferali carmine bubo
Viſa queri.

XVII.

ARuſpicina ars divinandi ex ipſis beſtiarum extis. Virgil. lib. 4. Æneid.

Verſus

Pectoribúsq; inhians ſpirantia conſulit exta.

XVIII.

ONomantia à nomine dicta divinatio per propriorum nominum literas, certis numeris per Authores hujus artis aſſignatas; de qua Nonius Marcellus Saya.

XIX.

ARithmomantia, per numeros divinatio; ut per Pythagoræ rotam, per pares & impares numeros: quemadmodum circa finem ſuæ geomantiæ Chriſtophorus Gataneus ſcriptum reliquit.

Fiebant etiam apud Romanos divinationes per auſpicia, per omina, per prodigia, & per ſomnia. de quibus omnibus Valerius Maxim. lib. 1. c. 4. 5. 6. & 7. Macrobius, Artemidorus, Deldianus in ſuis libris de ſomniorum interpretatione, Auguſtinus Niphus, Hieronymus Gardanus, & Nonius Marcellus &c. affatim meminerunt.

Valerius Max. lib. 1. c. 4. 5. 6. & 7. Macrobius in ſomn. Scipionis.

§. 87.

§. 87.

Quid dicendum eſt de nonnullarum obſervationum ſuperſtitionibus?

Analyſis doctrinæ Angelici Doctoris.

UTi rebus ad eos effectus aſſequendos, procreandos, vel pronuntiandos, quorum illæ res nec cauſæ ſunt, neque legitima ſecundùm divinam, vel naturalem inſtitutionem ſigna, ſuperſtitioſum eſt, & à chriſtiana religione alienum. Unde liquet, artem notoriam characterum, imaginum, & ſimilium rerum uſurpationem ad corpora, præter naturalem & divinam diſpoſitionem, immutanda; item futurorum eventuum proſperorum, vel adverſorum, ex ſignis neque naturaliter neque divinitùs ad id inſtitutis opinionem, vel prædictionem (çujuſmodi eſt illa, quæ ex fauſtorum, infauſtorúmque dierum obſervatione, & quæ ex liminis, dum quiſpiam domum tranſit, calcatione ſumitur) ſuperſtitioſas eſſe, chriſtianiſque interdictas. Divina autem verba de collo ſuſpendere, modo huic cæremoniæ nihil impium, nihil ſuperſtitioſum, nihil ignotum, nihil falſum, aut vanum admiſceatur, & ſpes rei optatæ, non in modo ligandi, aut ſcribendi, aut ſimili vanitate, ſed in Dei miſericordia collocetur, Chriſtiano licet; nulla enim lege neque divinâ, neque humanâ ejuſmodi cæremonia vetita reperitur. *D. Th. 2. 2. q. 96. a 1. 2. 3.*

§. 88.

Determinatio per almam facultatem Theologiæ facta Pariſijs, Anno Domini 1318. ſuper quibuſdam ſuperſtitionibus tunc exortis.

Articuli condemnati

I.

PEr artes magicas quærere familiaritates, amicitias, & auxilia Dæmonum, eſt idololatria. Contrarium ſentire eſt error.

II.

DAre, vel offerre, vel promittere Dæmonibus qualemcunque

que rem, ut adimpleant deſiderium hominis, aut in honorem eorum aliquid oſculari, vel portare, idololatria. contrarium error.

III.

INire pactum cum Dæmone tacitum, vel expreſſum, idololatria, vel ſpecies illius. & quandocunque effectus in obſervatione non poteſt rationabiliter à Deo, vel naturâ expectari. error.

IV.

COnari per artes magicas Dæmonium in lapidibus, annulis, ſpeculis, aut imaginibus nomini ipſorum conſecratis, vel potiùs execratis, includere, cogere, vel arctare, vel eas velle vivificare, idololatria. Contrarium error.

V.

UTi magicis artibus, vel alijs quibuſcunque ſuperſtitionibus à DEO, vel Eccleſia prohibitis, pro quocunque bono fine, idololatria. contrarium error. Nam non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, ut docet Apoſtolus.

VI.

MAleficia maleficijs expellere idololatria. Contrarium error.

VII.

IN nullo caſu licet uti maleficijs, nec diſpenſare in hoc. Contrarium error.

VIII.

RAtionabiliter ſuperſtitiones ab Eccleſia proſcribuntur. Contrarium error.

IX.

DEus per artes magicas non inducitur compellere Dæmones ſuis invocationibus obedire. Contrarium error.

X.

THurificationes & ſuffumigationes, factæ à maleficis, abominationes Deo vero ſunt. Contrarium error; aliàs Deus neque prohiberet, neque puniret.

XI.

TAlibus uti & taliter eſt immolare Dæmonibus; ac proinde idololatria. Contrarium error.

XII.

XII.

QUòd verba ſancta, & orationes quædam, jejunia, & balneationes, & continentia corporalis in pueris, & alia opera, ut celebratio miſſarum de genere bonorum, quæ fiunt pro exercendis hujuſmodi artibus, excuſent eas à malo, non potiùs accuſent. error.

XIII.

QUòd SS. Prophetæ, & alij SS. Patres per tales artes habuerunt ſuas prophetias, & miracula fecerunt, & Dæmones expulerunt. error, & blaſphemia.

XIV.

QUòd Deus per ſe immediatè, vel per bonos Angelos talia maleficia ſanctis hominibus revelaverit. error, & blaſphemia.

XV.

QUòd poſſibile eſt per tales artes cogere liberum hominis arbitrium ad voluntatem & deſiderium alterius. error; & hoc conari facere eſt impium, & nefarium.

XVI.

QUòd licet uti his ſuperſtitionibus; quia quandoque contingit, quod quærunt utentes illis. error.

XVII.

QUòd per tales artes Dæmones veraciter coguntur, & compelluntur, & non potiùs ita ſe cogi fingunt ad multos decipiendos. error.

XVIII.

QUòd per tales artes & ritus impios, per ſortilegia, per carmina, & invocationes Dæmonum, per quasdam inſultationes, & alia maleficia nullus unquam ſequatur effectus miniſterio Dæmonum; error. Nam talia permittit Deus aliquando contingere, ut patet in Magis Pharaonis, & alibi pluries; vel quia utentes ſeu conſulentes, propter malam fidem & alia peccata nefanda, dati ſunt in reprobum ſenſum, & demerentur ſic illudi.

XIX.

QUòd boni Angeli includantur in lapidibus, & conſecrent imagines, vel veſtimenta, aut alia faciant, quæ in his artibus continentur. error, & blaſphemia.

Digitized by Google

X X.

QUòd ſangvis upupæ, vel hædi, vel alterius animalis, vel pergamenum virgineum, vel corium leonis & ſimilia habeant efficaciam ad cogendos Dæmones, vel repellendos; error.

X X I.

QUòd imagines ex ære, plumbo, auro, cerâ albâ, vel rubrâ, vel aliâ materiâ, baptizatæ, exorcizatæ, & conſecratæ, ſeu potiùs execratæ, per prædictas artes, & certis diebus habent virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur; error in fide, in philoſophia naturali, & vera Aſtronomia.

X X I I.

QUòd talibus uti, & fidem dare, non ſit idololatria, & infidelitas; error.

X X I I I.

QUòd aliqui Dæmones boni ſunt, alij omnia ſcientes, alij verò nec damnati, nec ſalvati; error.

X X I V.

QUòd ſuffumigationes, quæ fiunt in hujuſmodi operationibus, conuertantur in ſpiritus, aut quod ſint debitæ eis; error.

X X V.

QUòd unus Dæmon ſit Rex Orientis (& præſertim ſuo merito) & alius Occidentis, alius Septentrionis, alius autem Meridiei; error.

X X V I.

QUòd Intelligentia motrix cœli influit in animam rationalem, ſicut corpus cæleſte influit in corpus humanum; error.

X X V I I.

QUòd cogitationes noſtræ intellectuales, & conſequenter noſtri actus libri immediatè cauſantur à cœlo, & quòd per aliquam traditionem magicam poſſunt ſciri certitudinaliter, & judicare de eis ſit licitum; error.

X X V I I I.

QUòd per quaſcunque artes magicas poſſumus devenire ad viſionem divinæ eſſentiæ, vel ſanctorum Spirituum; error.

Ori-

Digitized by Google

Originale hujus determinationis eſt ſigillatum magno ſigillo facultatis theologicæ Pariſienſis.

§. 89.

Quid dicemus de Aſtronomiæ genethliacæ Profeſſoribus?

Divina deciſio.

NUnciate, quæ ventura ſunt nobis, & dicemus: quòd Dii eſtis vos. Ventura autem nobis revelare non poteſtis: propterea *interrogate me* (inquit Dominus) *ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi; ſtent ergo, & ſalvent te Augures tui, cœli Aſtrologi, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, ut ex his annunciarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit illos.* Iſai. 41 45. & 47.

Quid D. Auguſtinus?

SI dicuntur ſtellæ ſignificare potiùs iſta, quàm facere, ut quaſi locutio quædam ſit illa poſitio, prædicent futura, non agent (non enim mediocriter doctorum hominum fuit iſta ſententia) ut v. g. Mars ita poſitus homicidam ſignificat, ſed homicidam non facit. Quî fit, ut nihil unquam dicere potuerint Mathematici, cur in vita geminorum in actionibus, in eventibus, in profeſſionibus, artibus, honoribus, cæteríſque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipſa morte ſit plerumque tanta diverſitas, ut ſimiliores eis ſint, quantùm ad hæc attinet, multi extranei, quàm ipſi inter ſe gemini, per exiguum temporis intervallum in naſcendo ſeparati; in conceptu autem per unum concubitum uno etiam momento ſeminati. fruſtrà (proſequitur S. Doctor) *affertur nobile illud commentum de figuli rota: quod reſpondiſſe ferunt Nigidium hac quæſtione turbatum: unde & figulus appellatus eſt; dum enim rotam figulus, vi quantâ potuit, intorſiſſet, currente illâ, bis numero de atramento, tanquàm uno ejus loco, ſummâ celeritate percuſſit: deinde inventa ſunt ſigna, quæ fixerat, deſiſtente motu, non parvo intervallo in rota illius extremitate diſtantia; ſic (inquit) in tanta cœli rapacitate, etiamſi alter poſt alterum tantâ celeritate naſcatur, quantâ rotam bis ipſe percuſſit, in cœli ſpatio* S. Aug. lib. 5. de civitate Dei. c. 1. idem D. Th. 2. 2. q 95. a 5. in O. D. Aug. lib. cit. c. 3. & l. 4 confeſſ. c. 3. in princip. tom. 1.

Ff 2 pluri-

plurimum intereſt. Hinc ſunt (inquit) quæcunq; diſſimillima perhibentur in moribus, caſibúsq; geminorum. Hoc figmentum fragilius eſt, quàm vaſa, quæ illâ rotatione finguntur. Nam ſi tam multum in cælo intereſt, quòd conſtellationibus comprehendi non poteſt, ut alteri geminorum hæreditas obveniat, alteri non obveniat; cur audent cæteris, qui gemini non ſunt, cum inſpexerint eorum conſtellationes, talia pronunciare, quæ ad illud ſecretum pertinent, quod nemo poteſt comprehendere, & momenta annotare naſcentium?

§. 90.
Quid D. Thomas?

D. Th. in quod. opuſc. apud Medin. 1. 2. q. 19.

QUia petîſti, ut tibi ſcriberem, an liceret judicijs aſtrorum uti: petitioni tuæ ſatisfacere volens, ea, quæ à ſacris Doctoribus ſuper hoc traduntur, ſcribere curavi. inprimis ergò oportet te ſcire, quòd virtus cœleſtium corporum ad immutanda corpora inferiora ſe extendit. Dicit enim Auguſt. 5. de civitate Dei, non uſquequaque abſurdè dici poteſt, ad ſolas corporum differentias afflatus quosdam ſydereos pervenire; & ideò, ſi aliquis judicijs aſtrorum utatur ad prænoſcendum corporales effectus, puta tempeſtatem, & ſerenitatem aëris, ſanitatem, vel infirmitatem corporis, vel ubertatem, vel ſterilitatem frugum, & ſimilia, quæ ex corporibus, & naturalibus cauſis dependent, nullum videtur eſſe peccatum; nam omnes homines circa tales effectus aliquâ obſervatione utuntur corporum cœleſtium. Sicut agricolæ ſeminant, & metunt certo tempore, quod obſervatur ſecundùm motum Solis. Nautæ navigationem vitant in plenilunio. Medici circa ægritudines criticos dies obſervant, qui determinantur ſecundùm curſum Solis & lunæ. Unde non eſt inconveniens circa corporales effectus uti aſtrorum judicio. Hoc autem omnino tenere oportet, quòd voluntas hominis non eſt ſubjecta neceſſitati aſtrorum; alioquin periret liberum arbitrium, quo ſublato, non imputarentur homini nec bona opera ad meritum, nec mala ad culpam.

§.
Definitio Concilij Tridentini.

EPiſcopi diligenter provideant, ne aſtrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſvè caſibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmare audent. *Concil. Trid. in indice volum. à Synod. damnat.*

§. 91.

Quòd ſi Aſtrologorum ſtudium inſanum eſt, quî fit, ut ex ſyderum certa conſtitutione, illi de nativitatibus, morte, & humanis eventibus multa vera multoties prædicant?

Criſis D. Auguſtini.

HIs omnibus conſideratis, non immeritò creditur, cùm Aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt has falſas ac noxias opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atque firmare, non horoſcopi notati & inſpecti aliquâ arte, quæ nulla eſt. Quocirca (concludimus cum eodem S. Doctore) viro Chriſtiano Mathematici, maximè dicentes vera, cavendi ſunt, ne conſortio Dæmoniorum animam deceptam pacto quodam ſocietatis irretiant.

D. Aug. lib. 5. de Civit Dei c. 7.

idem l. 2. de geneſ. ad lit. c. 17. l. 4. confeſſ. c. 3. in princip. tom. 1.

§.

Criſis D. Thomæ.

HOc, quod Aſtrologi ex conſideratione aſtrorum, frequenter prænunciant, contingit dupliciter. Uno quidem modo, quia plures hominum paſſiones ſequuntur corporales; & ideò actus eorum diſponuntur ut in pluribus, ſecundùm inclinationem cœleſtium corporum. Pauci autem ſunt (id eſt, ſoli ſapientes) qui ratione inclinationes hujuſmodi moderentur, & ideò Aſtrologi in multis vera pronunciant, & præcipuè in communibus eventibus, qui dependent ex multitutudine. Alio modo propter Dæmones ſe immiſcentes. Unde dicendum eſt, quòd divinationi, quæ procedit ex opinione falſa vel vanâ, ingerit ſe operatio Dæmonis, ut hominum animos implicet vanitate & falſitate. Vana autem & falsâ opio-

D. Th. 2.2.q. 95. in O. & ad 2. in 1. diſt. 15. q. 1. a 3 ad 4. & 3. cont. gent. c. 154. ad Galat. 4. lect. 4. collum. 2.

opinione utitur, ſi quis ex conſideratione ſtellarum futura velit prænoſcere, quæ per eas præcognoſci nullo modo poſſunt.

§.
Criſis D. Chryſoſtomi.

D. Chryſoſt. orat. 5. de fato.

SI *geneſis eſt* (inquit Chryſoſt.) *ſive prædictio eſt, ex cujusq; in hanc lucem ortu, judicium non eſt. ſi geneſis eſt, fides non eſt. ſi geneſis eſt, Deus non eſt, non eſt virtus, non eſt vitium. Si geneſis eſt: omnia fruſtrà, omnia temerè & agimus, & patimur: non eſt laus aliqua: non vituperatio: non eſt pudor: non turpitudinis verecundia: nulla ſunt leges: non judiciorum fora &c.* Ex his SS. Patrum teſtimonijs & cenſuris conſtat, quàm falsò Petrus Aliacus S. R. E. Cardinalis olim aſſeruerit, tres Reges Magos potuiſſe ex aſtrologicis obſervationibus, independenter à nova ſtella, quâ duce in Hieroſolymorum Regionem volupè devenêre, Chriſti prænoſcere futuram vitam & nativitatem. Falſitas (inquam) illius in propatulo eſt; nam ſi Magi ex congrua ſtellarum conſtitutione & benigno influxu potuerunt æſtimare nati pueri dignitatem, nativitatem, vitam, & imperium: cur non & mortem? cur non & virgineum partum? cur non & conceptum de Spiritu ſancto ex intemerata Virgine MARIA? cur non omnes, qui in eodem temporis momento naturaliter fuerunt concepti, & conſequenter nati non fuerunt profeſſi vitam Chriſti? cur non vixerunt ad ejusdem annos 33. & non plures, vel pauciores? cur non fuerunt crucifixi? cur non patrarunt miracula? cur non egerunt vitam Apoſtolicam? cur non fuerunt Redemptores mundi? cur denique illam et aſtra, quæ perenniter rotantur, quandocunque ad idem punctum & ubi commeant, non indigitant naſciturum Chriſtum, vel ſaltèm jam natum? cur non inferunt quotannis unum Servatorem mundi? cur non monſtrant? cur non inferunt, ſiquidem neceſſariò in cuncta ſub ſole viventia, juxta uniuſcujusque conditionalem capacitatem, influunt? cur? ego dicam: quia inprimis nemo dat, quod non habet. Cur? quia ſapiens dominabitur aſtris. Cur? quia intellectualis rationaliſque ſubſtantiæ vita à creatore Deo ter Opt. Max. infinitâ providentiâ diſpenſatur, ac regitur. Cur? quia bona & mala fortuna ab ente inſen-

Petrus Aliacus Card. q. 3. in geneſ. & in lib. 6. de legib. & ſect.

ſenſato, quale eſt cœlum aſtrale, minimè per ſe pendet; imò hoc implicare juxta fluentem providentiam aſſerimus. Cur? quia cauſa neceſſaria, qualia ſunt aſtra, ultimâ inſpectâ Dei virtute, divinæ nobilitati ingenitæ libertatis, quæ apud ſubſtantiam rationalem ſingulari pollet indifferentiâ ad utraque & contradictionis & contrarietatis extrema, neque jure humano, neque divino præeſſe poteſt. Cur? quia nullum inſtrumentum inanimatum unquam percalluit agentis, à quo movetur, formalem voluntatem, ut ſic, vel ſecùs, contra moventis dictamen aliquid præoperetur neceſſariò, vel præſignificet ex meritis proprijs contingenter. Cœlorum autem ſyderea lumina ſunt ſine anima condita, ac proinde non à ſe in regulares procedunt motus, ſed ab alio, prudentiſſimâ virtute prædito, perenniter propter hominem rotantur: ergo &c. Cur tandem? quia ſi peregrinum illud aſtrum, quod cœlitùs Reges ad Salvatoris duxit præſepium, in deſideratiſſimum nullatenus influxit Jeſulum: quî fieri poteſt, ut fatum ejus dicatur? Eapropter vanitatem Aſtrologorum diſertiſſimè expungit N. Magnus Eccl. D. Gregorius PP. dicens: *abſit à fidelium cordibus, ut aliquid eſſe fatum dicant. Vitam quippe hominum ſolus hic, qui creavit, adminiſtrat. Neq; enim propter ſtellas homo: ſed ſtellæ propter hominem factæ ſunt. & ſi ſtella fatum hominis dicitur, ipſis ſuis miniſterijs ſubeſſe homo perhibetur. Certè cùm Jacob de utero egrediens prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquàm egredi potuit, niſi ſubſequens inchoaſſet, & tamen cum uno tempore, eodémq; momento utrúmq; mater fuderit, non una utriusq; vitæ æqualitas fuit. ac proinde ſi evangelij verba penſamus, quibus de eadem ſtella dicitur, uſq; dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer: dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum recurrit (ſi dici liceat) non ſtella fatum pueri, ſed fatum ſtellæ is, qui apparuit, puer fuit.* His igitur ſic ſe habentibus, quid nobis opus eſt confugere ad annum 42. Octavij Auguſti, & ad octavo Kalendas Januarij, nec non ad dimi-

Homilia 10. in Evang. Matth.

Nunquid ſtella Angelus? Quidã dicunt, quod ſicut Spiritus ſanctus deſcendit ſuper baptizatũ Dominũ in ſpecie columbæ, ita apparuit Magis in ſpecie ſtelæ. Alij verò dicunt, quòd Angelus, qui apparuit paſtoribus humana ſpecie, apparuit Magis in ſpecie ſtellæ. Probabilius tamen

videtur, quòd fuerit ſtella denuò creata, non in cœlo, ſed in aëre vicino terræ, quæ ſecundùm divinam voluntatem movebatur. Unde ſtella illa non eſt ſecuta motum ſtellarum cæleſtium, imò nec Cometarum, qui nec de die apparent, nec curſum ſuum ordinatum mutant Hæc D. Thomas 3. p. q. XXXVI. a. VII. in O. S Chryſoſt. homil. 6. tom. 21 docet fuiſſe Angelum his verbis: hoc non videtur proprium eſſe ſtellæ, ſed virtutis rationalis cujusdam; unde hæc ſtella virtutis inviſibilis in talem fuit apparentiam transformata. S. Leo Pap. ſer. 1. de Epiph.

dimidium natalitiæ noctis, ut verum de verbo ad verbum humanatum jam prolaturi, ſyncero mentis obtutu (cunctis excluſis aſtris) agnoſcamus? nunquid quia eo tempore (ut excogitavit Cardinalis Aliacus) horoſcopus erat pars Virginis octava, quæ religionis mutationem ſignificat: ideò alma in Urbe templum corruit immediatè pacis? ſi Virginis ſydus ſignum eſt mutationis neceſſarium: quare non infert perennem religionis mutationem? quare non irritam reddit incarnati Verbi definitionem: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam &c?* Nunquid, quia in illo tempore Saturnus cœli culmen tenebat: ideò rediêre Saturnia regna? Nunquid, quia Sol in eodem temporis momento imum luſtrabat cæli: ideò verus juſtitiæ ſol terræ infimum tenebat medium? Nunquid, quia reliqui comites Planetæ ſuas quoquomodo obſervabant ſtationes: ideò in gremio virgineo divinus quieſcebat puerulus? Nunquid, quia Chriſtus ſub Virginis aſcendente ſigno ortus eſt: ideò intemerata mater Virgo peperit, virgóque æternùm permanſit? Nunquid, quia æquatio motûs octavæ Sphæræ (ut ſcripſit B. Albertus magnus) in facto eſſe nativitatis Chriſti fuit 8. graduum & 30. minutorum: ideò immaculata mater & Virgo ſemper Maria animata ſphæra ad divini Solis conſpectum liqueſcens, diffuſa eſt in ulteriores octo gradus gratiæ, & theologicarum virtutum triginta minuta? Nunquid quia 30. fuerunt minuta, ideo 30. argenteis fuit venditus divinus Magiſter? Nunquid quia Magnus Albertus cum Philoſophorum communi placito octavæ meminit ſphæræ: ideò admittendæ ſunt octo ſphæræ? Nunquid non S. Clemens Apoſtoli Petri diſcipulus, & complures SS. Patres cum duabus fuerunt contenti? Nunquid non ex alterutris nobis viſibilis ſtellifera in fine mundi conflagrationis igne erit conſumenda? Nunquid non ſecunda, quæ modo non apparet, ſcilicet Empyrea, quæ cœlum novum ab Evangeliſta Joanne vocatur, æternùm eſt duratura? Nunquid non tres cœlos habebimus, ſi illis duabus ſphæris aërem volucrum cœlum ſupponamus? nunquid non jam ſalvabitur, quòd Paulus fuerit raptus uſque ad tertium cælum? nunquid non intelligibilius eſt, quòd aſtra ab intelligentijs moveantur, quàm quòd

Cardin. Aliacus in Geneſ. & lib. de ſect.

Math. 16.

Albert. Mag. l. 6. in l. cui tit. ſpecul. ſed falsò hic liber ipſi attribuitur. Vide indicem lib. prohibitor.

Apocal. 12.

quòd tota cœlorum machina ab eiſdem rotetur? nunquid non S. Auguſtinus hujus veritatis aſſertor eſt acerrimus? *fieri poteſt* (inquit) *ut, cœlo immobiliter ſtante, ſydera omnes ſuos curſus, quos in ipſis ſpectamus, perficiant.* Idque à Mathematicis ſui temporis certiſſimis demonſtrationibus ibidem oſtenſum fuiſſe teſtatur. Nunquid non S. Chryſoſtomus contrariam ſententiam vocat temerariam vanæ ſolùm æſtimationi Philoſophorum innixam? nunquid non Procopius Gazæus in expoſitione 1. verſûs c. 1. Genes. in princip. teſtatur, quòd aſſertio dicentium, cœlum circulari motu cieri, non concordat orthodoxæ veritati, ſed contradicit Moyſi, Chriſto, & Paulo? nunquid non D. Hieronymus docet, vocari cœlos in plurali, licet ſit unum ſingulare, quod à nobis conſpicitur, ſicut dicimus Thebas, & Athenas? nunquid non D. Hilarius ſubſcribens Clementi, vocem Hebræam *Samain* dualis numeri defendit? nunquid non Origenes propugnat, eodem modo ſe habere Solem, lunam, & ſtellas ad cœlum, ſicut animalia ad terram: ac proinde aſtra, & maximè Planetas, moveri, cœlum verò quieſcere? nunquid non Theophilactus ſuper illa verba Pauli ad Hebræos 8. *tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo*; conſciſcit SS. Patribus, immobilitatem cœli defendens? Ad quid ergo undecim cœli? ad quid octo ſphæræ Philoſophorum atque Magni Alberti? Denique non aſſertivo animo, ſed diſputativo tres ſolummodo cœlos eſſe propugnamus.

D. Aug. ſuper Genes. ad lit. c. 10.

S. Chryſoſt. in Epiſt. ad Hebr. hom. 14. hom. 4. in geneſ. in expoſit. Pſal. 148. homil. 6. & 13. homil. 12. ad popul. Antioch. Hieron. ſuper c. 1. Iſai. D. Hilarius canon. in Matth. 4. & in enarr. Pſ. 122. Origen. l. 5. adverſus Celſ. & lib. 1. Periarch. c. 7. Theophilact. ad Hebr. 8.

§.

NUnquid, quia Albumaſar in ſuo majori introductorio ſcripſit hæc: *aſcendit in prima facie illius ſigni* (ſcilicet Virginis) *virgo pulchra, habens in manu ſua duas ſpicas, & nutrit puerum: & vocat ipſum puerum quadam gens Jeſum*: ideò Albûmaſar inter Prophetas computandus venit? ideò ſcripta illius Sibyllinis oraculis exæquanda ſunt? ideò Chriſtus panis Angelorum natus eſt in Bethlehem, quæ domus panis interpretatur? ideò Mariæ fortuna ab aſtris, an non aſtrorū gloria potiùs à Maria? illud ut impium damnamus, hoc autem ſecundùm pietatem non immeritò aſſerimus, juxta illud Apocalipſis cap. 12. *ſignum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & luna ſub pedibus ejus: & in capite ejus corona ſtellarum*

Albumaſar in major. introductorio tract. 6.

Digitized by Google

Exod. 13.

duodecim. ergo &c. Nunquid, quia Exod. 13. ſcriptum eſt: *erit ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos*: ideò adhibenda fides eſt vanæ Cingarorum ſuperſtitioni? nunquid non *idiotiſmus potiùs hebraicus eſt* (teſte Noſtro Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Clario) *quotidiani exercitij & meditandæ legis divinæ, & per rectè facta exercendæ, talis locutionis ſtylus*: *quàm argumentum artis divinatoriæ*? Nunquid, quia Job. c. 37. legitur: *qui in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua*: ideò confirmanda venit vanitas Cingarorum? Nunquid non omnes, qui ad octavam recurrunt ſphæram, liberum arbitrium de medio manuum ſuarum voluntariè tollunt? ſi volentes liberum tollunt arbitrium: quidni rationis legitimum ignorent ſignum? ſignum (inquam) ſecundûm quod bonitas, aut malitia cujusque externi actus (qui nomine manûs ſignificatur) moraliter erat in opere ſigillanda. Nunquid, quia nugaces Aſtrologi perpetim ab octiva ſphæra cœleſtes efflagitant manus: idcirco proprijs ex limo plaſmatis, ac proinde illotis unàque ignotis, cœlos capient manibus? *accinge igitur ſicut vir lumbos tuos* (inquit Jobo de turbine DEUS) *interrogabo te, & tu doce me. Nunquid conjungere valebis micantes ſtellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris diſſipare? Nunquid noſti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra? quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam? quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet? quando fundabatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur, &c*? Nunquid non nebulones Genethliaci (ut ex dictis liquet) pingvi ſatis recurrunt minervâ, ut de futuris ominentur, ad natalitiam horam, nullo prorſus examine prævio de præcipuo conceptionis animationisque puncto? ſi conceptionis punctum, animationisque momentum illos ſemper fugit: ô bone Deus, quantum diſtabit ab ipſorum ſterili intellectu, inſanóque captu naſcentis verus fortunæ futuræ conceptus! fugere igitur illos, quinimò fugare debemus omnes.

N. Clarius in ſchol. hujus cap. 13.

Job. c. 37.

Job. c. 38.

§.

NUnquid, quia Aſtronomi creberrimè ſubdubitant, quis ſit Alcochoden, quisque ſævus Hylech, idcirco à prudentibus exſibilandæ non ſunt hæ nugarum nugæ? Nunquid non

Lege Hali Abenragel fata ſtellarum. Ptolom. Dorothiū & alios.

non Scheolach dormiens Martini Lutheri germana etiam ſoror eſt Aſtromaniaci Alcochoden & Athazir? atqui illa chymera eſt: Alcochoden igitur eſt chymera. Vani igitur ſunt Aſtronomiæ omnes Profeſſores. hæc illatio penitus eadem eſt cum illa, quam Iſaias de eisdem prædicens, intulit: *ecce, facti ſunt quaſi ſtipula: ignis combuſſit illos.* *Iſai. c. 47.*

§. 92.

Quid ſit, facti ſunt quaſi ſtipula, peto: nam, an identitas conſequentiæ ſubſiſtat, ignoro.

UT illationis Prophetæ porrò divinæ ſenſum calleas, & ſpiritum teneas: Præſciendum tibi eſt, quid ſtipulæ ſignetur nomine; ſtipula enim in propria acceptione, non ſolùm ſiliginis calamum ſignificat: ſed etiam hordei, tritici, avenæ, & ſimilium &c. & in hoc ſenſu Poëta mellifluus cecinit:

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atq; levem ſtipulam crepitantibus urere flammis. *Virgil. 1. Georgic.*

Cui ſuccinit Ovidius:

Móxq; perardentes ſtipulæ crepitantis acervos *Ovid. faſt. 4.*
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.

Ad rem igitur: nunquid non ſiligineas aliquando ſtipulas conſideraſti? nunquid non eas benè introſpexiſti? nunquid interiora earundem ſolida aliquando invenire potuiſti? num quampiam ex illis legiſti medullam? nonne ſaltèm videre meruiſti? non vidi, reſpondebis, & rectè quidem. Quid ergo habent ſtipulæ, ſi medullam non habent ullam? nunquid datur vacuum in natura? nequaquàm datur vacuum in natura naturaliter; & tamen ſalvatur adhuc, quòd nullam ſubſtantiæ medullam contineant ſtipulæ. Quid ergo continere poſſunt, ſi vacuum repugnat? de continentia me interrogas, qui de incontinentia non dubitas! pro comperto igitur habeas, aliud nihil ſtipulas cujúsque generis implicare, quàm vanitatis ſymbolum, aërem nimirum. Quocirca omnes ſtipulæ à nativitate ſunt vacuæ, & plenæ ſimul. Vacuæ triticeâ medullâ: plenæ vanitatis ſymbolo: vacuæ veritatis grano: plenæ vanitatis ſpiritu: vacuæ ſubſtantiâ propriâ: plenæ ſemper alienâ, videlicet aëria.

riâ. Perinde igitur eſt, *Augures cæli facti ſunt quaſi ſtipula*: ac vanitate pleni ſunt. Libentiſſimè hanc concedo conſequentiam, quâ admiſsâ, conſequentiæ identitas haud obſcurè innoteſcit.

§. 93.

Cur autem Propheta dicit, facti ſunt quaſi ſtipula: *& non potiùs fecit illos Deus quaſi ſtipulam? num abs Deo quicquam fit in mundo?*

FActi ſunt quaſi ſtipula, inquit divinus Prophetes: quia à veritate penitus, vanitati autem duntaxat vacantes, valde vani conſequenter facti ſunt; aſt vanitas nihil eſt: Deus igitur Author illius non eſt. Deus enim adhuc non didicit facere nihil, verùm ex nihilo omnia facere ipſe ſolus optimè ſcit. dicat ergo Propheta, divino afflatus ſpiritu, quòd Aſtrologi, cœli augures, facti ſunt *quaſi ſtipula*: facti ſunt vani: in nihilum redacti ſunt: quia non à Deo entis primo aſſertore, ſummóque boni largitore, ſed à ſeipſis, ut cadivis vanitatíque ſubjectis, vani effecti ſunt. Quamobrem in illis impletur divinum vaticinium: *perditio tua ex te Iſraël: tantummodo ex me auxilium tuum.* Unde immediatè ſequitur: *ignis combuſſit eos.* Condignum utique Chaldæorum præmium, ac Genethliacorum. Verùm enim verò tales homunciones (ut ait
Valer.M. l.4. Valerius M.) levibus & ineptis ingenijs, fallaci ſyderum interpretatione, quæſtuoſam ſuis mendacijs caliginem obijciunt credulis: ſeriò definientes, concludimus: quòd non ſolùm in futuro ſæculo juſtas ſcelerum ſuorum dabunt pœnas (ſi non reſipuerint) ſed etiam in hoc ſolvere tenentur. Propterea præſtaret, ut in omni Rep. ad ſolu-
Suid. lit. B. tionem cogerentur tributi, quod olim Alexandriæ (teſte Suidâ) pendebatur ab illius ſæculi Aſtrologis, videlicet Βλακεννομίον, ideſt, ſtultorum tributum. Cùm igitur infinitus illorum numerus ſit ſoli ſapienti Deo notus, omnes hîc valere jubemus.

✠

1. ΟΥΡΑΝΟΣ ΑΝΩ ΟΥΡΑΝΟΣ ΚΑΤΩ.
2. ΑΣΤΡΑ ΑΝΩ ΑΣΤΡΑ ΚΑΤΩ.

3. ΠΑ-

Digitized by Google

3. ΠΑΝΟ ΑΝΩ ΠΑΝ ΤΟΤΤΟ ΚΑΤΩ.
4. ΤΑΤΤΑ ΛΑΒΕ ΚΑΙ ΕΤΤΥΧΕ.

Id eſt,

1. Cœlum ſurſum, cœlum deorſum.
2. Aſtra ſurſum, Aſtra deorſum.
3. Quod ſurſum, omne deorſum.
4. Hæc cape, & proſperare.

Legitur hæc inſcriptio, teſte Barachia Abenephi, in quodam ſaxo non procul à Memphi, nec non in ſmaragdina Hermetis Triſmegiſti tabula. in Typho gen. human. fol. 138. ad objectt. 11. cap. 11.

§. 94.

Ultimò petimus, an undecima ſolutio Pneumocoſmicorum, quæ ſic ſonat: *Reſpondent iterum Pneumocoſmici, nullum animal irrationale ſeu brutum mori, vel corrumpi in ſenſu Ariſtotelico & pſeudophiloſophico, bene tamen in ſenſu veræ Philoſophiæ, quæ ſicut docet, generationem nihil eſſe aliud, quàm ſpiritûs mundi novam limitationem ad certam ſpeciem accidentaliter diverſam; ſic etiam docet, corruptionem nihil eſſe aliud, quàm abolitionem ideæ, quæ ipſum ad præcedens eſſe, ac operari determinabat, hæc in priſtinum chaos retruſa veterem ſimul Archæum ſepelit. Non ergo, cùm aliquid moritur, formâ ſubſtantiali privatur &c. in homine aliter loquimur, hic enim præter mundi animam, ſimul formâ rationali eſt præditus, quâ à corpore ſeparatâ, mori dicitur*: faveat ſectæ Gaianitarum, & Julianitarum?

Reſp. affirmat.

Ut deciſionis noſtræ inconcuſſa veritas quaquàverſùs effulgeat, non tantùm referemus hîc Gajanitarum ſectam & Julianitarum, sed etiam Catholicam præmittemus Doctoris Angelici mentem, ut ex prudenti collatione ejusdem cum ſecta ac ſolutione doctrinæ, & veritatis legatur granum, & implicitus in reſponſione fautorum ſpiritûs mundi error reveletur deteſtandus.

§.

Hæreſis refertur Gajanitarum.

Gajanus Eccleſiæ Alexandrinæ Archidiaconus, anno 535. electus Epiſcopus Alexandrinus adverſus Theodoſium, hæreti-

cuſ fuit ſectæ Incorruptibilium (quid hoc ſit ſtatim exponemus) adverſus Severum Hæreſiarcham factionis Corrupticolarum, à quo dicti ſunt Gaianitæ, ſectam Acephalorum affectantes. Dicebant itaque Gaiani diſcipuli, Chriſti corpus ab ipſa conceptione fuiſſe incorruptibile, & ab anima conſequenter ſenſitiva inſeparabile. Vide Leont. act. 5. & 10. de ſectis. Nicephor. lib. 45. hiſtor. cap. 15. Theodor. Carthuſ. de ſectis lit. G. S. Auguſt. epiſt. fundament. contra Manich. tom. 6. Tertul. & alios juniores.

§.

Hæreſis etiam Julianitarum revelatur.

HAlicarnaſſæum Julianum tempore Phocæ imperatoris pluri-marum extitiſſe hæreſum authorem, jam olim prodidit Nicephor. lib. 16. hiſtor. cap. 46. inſurrexit enim tunc copioſa hæreticorum turba, videlicet Trithcitarum, Agnoëtarum, Theopaſchitarum &c. qui (ut Leontius & Nicephor. locis citatis ſcribunt) Julianum Halicarnaſſæum imitantes, aſſerebant: carnem Chriſti Domini fuiſſe verè creatam, ſed ab anima, qua vivificabatur, non fuiſſe ſeparatam, quia corpus JESU erat in hoc ſenſu incorruptibile.

§.

Quid D. Thomas de allegetis ſentit cum concilio Epheſino Hæreſiarchis?

NB. D*icendum eſt* (reſolvit D. Thomas) *quòd, Chriſtum verè fuiſſe mortuum, eſt articulus fidei. Unde aſſerere * omne illud, per quod tollitur veritas paſſionis Chriſti, eſt error contra fidem; propter quod in epiſtola ſynodali Cyrilli, quæ habetur in concil. Epheſin. cap. 12. dicitur: ſi quis non confitetur JESUM filium Dei paſſum carne, & crucifixum carne, & quòd mortem guſtavit carne: anathema ſit. Pertinet autem ad veritatem mortis hominis, vel animalis, quòd per mortem deſinat eſſe homo, vel animal: mors enim hominis & animalis provenit ex ſeparatione animæ, quæ conſtituit animal, vel hominem. & ideo dicere, Chriſtum in triduo mortis hominem fuiſſe, vel animal, ſimpliciter & abſolutè loquendo, erroneum eſt.* Hæc D. Thomas 3. p. q. 50. a. 4. in O.

Con-

Confirmatio ejuſdem Doctoris ex alijs SS. Doctoribus & Eccleſiæ Patribus.

S*I autem diceretur* (confirmat Angelicus Magiſter, a. 5. ejuſdem quæſt. 50.) *quòd corpus Chriſti mortuum totaliter idem remaneret, ſequeretur, quòd non eſſet corruptum (corruptione dico mortis, quæ eſt ſeparatio realis extremorum) quod eſt hæreſis Gaianitarum, ut S. Iſidorus dicit lib. 8. etymolog. cap. 5. & habetur in decret. 24. q. 3.* quidam hæretici & *Damaſcenus dicit in lib. 3. orthod. fid. q. 28. in princip. quòd corruptionis nomen duo ſignificat, uno modo * ſeparationem animæ à corpore, & alia hujusmodi: alio modo perfectam diſſolutionem in elementa; Ergo incorruptibile dicere corpus Domini, ſecundùm Julianum & Gaianum, ſecundùm primum corruptionis ſeparativæ modum, ante reſurrectionem eſt impium: quia corpus Chriſti non eſſet conſubſtantiale nobis, nec in veritate mortuum eſſet, nec ſecundùm veritatem ſalvati eſſemus. Secundo autem modo corpus Chriſti fuit incorruptum, &c.* Hæc D Thomas; ex quibus jam conſtat, qualis fuerit Gaianitarum & Julianitarum impia ſecta. Vide Leont. act. 7. contra Hæſitantes hæreticos Academicorum Patronos (contra quos in 2. agemus tractatu) ſic diſcurrentem: *Quo pacto Heſitantes inquiunt, in uno individuo reperiri duo poſſunt? Hoc ipſum quo pacto, per rem abhorrentem ab opinione, ſolvimus. Quippe non abſurdum eſt, accidiſſe quid in Chriſto præter opinionem hominum. ſed abſurdum eſt mentiri, ac principijs adverſari.* His igitur præmiſſis, ſic philoſophari placuit. NB.

I.

DIvi Thomæ & Noſtri Damaſceni philoſophia, qua docent ad veram mortem ſive hominis, ſive animalis requiri ſeparationem animæ à corpore, eſt Ariſtotelica, juxta illud: *Reſpondent iterum Pneumocoſmici nullum brutum mori &c.* (quod fuſiùs nos oſtendemus in noſtris inſtitutionibus philoſophicis) atqui S. Romana Eccleſia non admittit D. Thomæ & Damaſceni doctrinam, quoad ſeparationem animæ ſenſitivæ à corpore intriduo mortis Chriſti, ut pſeudophiloſophiam, ſed ut veriſſimam fideique noſtræ conſentaneam doctrinam: ergo neque Romana Eccleſia, quoad præſens argumentum de ſeparatione animæ ſenſitivæ à cor-

à corpore Chriſti, admittet Ariſtotelis doctrinam ut pſeudophiloſophiam. Injuria igitur fit SS. Doctoribus & Eccleſiæ Patribus Damaſceno & Thomæ in hoc, quòd ipſorum doctrina, ſive inſcienter, ſive malevolè appelletur pſeudophiloſophia à grammatiſtis Pneumocoſmicis; ac per conſequens S. Romanæ Eccleſiæ, quæ approbavit D. Thomæ & Damaſceni Philoſophiam, ut conſentaneam principijs revelatis, ijdem contradicunt ſpiritûs mundi fautores; ergo &c.

II.

IDeo homo verè mori dicitur, quia anima rationalis ſeparatur à corpore, juxta veriſſimam adverſariorum ſolutionem, *quâ à corpore ſeparatâ, mori dicitur*; ergo animal, à cujus corpore anima neque ſeparatur, neque eſt naturaliter ſeparabilis, non moritur, neque eſt mortale naturaliter. Antecedens à nullo catholico Philoſopho negabitur; conſequentia eſt evidens. Tum ſic: ſpiritus mundi in triduo mortis Chriſti neque fuit ſeparatus realiter à corpore, neque naturaliter ſeparabilis: ergo Chriſtus fuit incorruptibile animal ac immortale ante reſurrectionem naturaliter, ſumptâ incorruptibilitate & immortalitate pro inſeparabilitate extremorum. Antecedens eſt Pneumocoſmicorum doctrina, conſequentia legitimè infertur. Atqui (clamat D. Thomas) *pertinet ad veritatem mortis animalis, quòd per mortem deſinat eſſe animal; ergo dicere incorruptibile corpus Domini* (concludimus cum ipſo) *ſecundùm Julianum & Gajanum*, ſeparationem animæ à corpore in Chriſto negantes, *eſt impium*; ergo &c. Sed dices: quare impium? quia (reſpondemus) *corpus Chriſti in veritate non fuiſſe mortuum*. Dein, quia *ſecundùm veritatem ſalvati non eſſemus*. Sed quare non ſalvati? Quia eſt articulus noſtræ fidei, quæ falſo ſubeſſe non poteſt, quòd Chriſtus verè fuit mortuus: ac per conſequens, quòd verè guſtavit mortem per realem ſeparationem vitæ ſenſitivæ à corpore, ut habetur in Cyrilli epiſt. jam citatâ; ergo &c. Confirmatur: Si anima rationalis ſeparata non fuiſſet à corpore Chriſti in triduo, porrò falſum eſſet dicere, quòd Chriſtus mortuus fuerit: ergo pariter, admiſsâ ſenſitivâ in Chriſto animâ, quæ ſit realiter diſtincta ab anima rationali ipſius, & indiſtincta realiter ab anima totius mundi, quæ

Digitized by Google

quæ eſt realiter incorruptibilis, erit falſum aſſerere, quòd Chriſti corpus fuerit in triduo corruptum, corruptione mortalis ſeparationis. Antecedens non negabitur à ſectarijs. conſequentia liquet. atquì hoc aſſertum aliud eſt nihil, quàm ſecta Gajanitarum, & Julianitarum, ut SS. Patres Iſidorus, Damaſc. & D. Thomas nos docent: ergo &c.

III.

EX ſolutione Pneumocosmicorum ſequitur, quòd Chriſtus non fuerit paſſus pro nobis, ut homo, ſed ut brutum tantùm: ſed hoc & falſum, & abſurdum eſt; ergo &c. probatur ſequela: ut ſit verum, quòd Chriſtus paſſus fuerit pro nobis in quantum eſt homo, neceſſariò requiritur, ut forma, qua conſtituitur phyſicè in eſſe hominis, ſit phyſicæ paſſionis capax: ſed anima rationalis, qua, ſine controverſia, conſtituitur Chriſtus in eſſe hominis, eſt incapax ſecundùm Academicos paſſionis ſenſibilis; ergo &c. minor ab ipſis probatur ſectarijs: *anima rationalis* (inquiunt Pneumocoſmici in ſecunda probatione ſuæ ſectæ in Typho generis humani cap. 11. fol. 134.) *cùm ſit ſpiritualis, eſt valde improportionata, ut effectus & ſenſationes materiales eliciat; item, ut det eſſe corpori*: (hìc jam alia pullulat hæreſis) *congruentiùs ergo videntur ratiocinari, qui ſpirituales tantùm operationes illi attribuunt, & materiales animæ ſenſitivæ*. Hactenus adverſarij. Ergo ſine dubio verum eſt, quòd Chriſtus in quantum homo non fuerit ſenſibili ſubjectus paſſioni, ſed præciſè in quantum hoc brutum. conſequentia patet, quia forma, quæ ex ſua natura incapax eſt materialis ſenſationis, incapax etiam eſt pro hoc ſtatu (quidquid ſit de miris modis, quibus cruciantur in inferno Dæmones, & animæ in purgatorio, vel in inferno &c.) materialis paſſionis naturaliter; ergo &c. Ex his conſequenter inferimus, quòd non Chriſtus ut homo, ſed ſpiritus macrocoſmi, vel ſi mavis, ipſe macrocoſmus, ut brutum, fuerit crucifixus, paſſus & ſepultus (ſed nondum mortuus, etſi mortificatus, quia non ſeparatus à materia corporis Chriſti in triduo, ac per conſequens nec reſuſcitatus) pro genere humano. Sequela hæc non indiget probatione, ſed antecedentis tantùm doctrinæ theologicà comprehenſione. Sed hoc abſurdum, noſtræ fidei everſivum, impium eſt: ergo &c.

IV.

FOrma, quæ non dat eſſe corpori, non eſt forma corporis (quippe effectus formalis formæ nihil eſt aliud, quàm ipſa forma per formalem informationem communicata) ſed anima rationalis, ſecundùm Pneumocoſmicos (ut conſtat ex ipſorum doctrina) eſt valde improportionata, ut det eſſe corpori: ergo non eſt forma corporis. atquì ſententia Philoſophorum, qui aſſerebant animam rationalem non eſſe formam corporis, ut rationalem, proſcripta eſt in generalibus Concilijs, ut ex dictis conſtat: ergo & ſecta Pneumocoſmicorum jam pridem condemnata eſt; ergo &c.

V.

QUanquàm anima rationalis ſit (ut revera eſt) eminenter formaliter, ſeu ut quo, ſenſitiva & vegetativa ſimul, nihilominùs, ſi non dat eſſe corpori per phyſicam informationem, ſequitur, quòd Chriſtus nullo modo fuerit mortuus. Probatur ſequela: illud propriè mori dicitur, quod ab anima ſeparatur informatrice (aliàs Intelligentiæ ſphærarum motrices, earundem erunt cauſæ formales & animæ; quod, quàm falſum ſit, ex ſupradictis patet) ſed anima rationalis non vivificavit corpus Chriſti (ut ſupponimus ex doctrina adverſariorum) quoniam vivificare formaliter, & dare eſſe vitæ formaliter, idem prorſus eſt reſpectu animæ vivificatricis; neque ſpiritus mundi fuit ſeparatus realiter à corpore, ut eſt certum apud illos: ergo ſeparatio animæ rationalis à corpore Chriſti non fuit mors, ſed à corpore realis abſentia; ac per conſequens Chriſtus æquivocè tantùm dicetur mortuus. Quo ſuppoſito, liberè poterunt Pneumocoſmici metempſychoſin Pythagoricam ſub umbra propugnare Platonis, & ſub Hermetis auſpicijs palingeneſiam celebrare Naſonis, concinentes:

Ovid. lib. 15. Metamorph.

Morte carent animæ, ſemperq; priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, habitántq; receptæ.

Ac per conſequens in hujus ſtultitiæ confirmationem ipſis jam licebit commentum Atticum de reſurrectione Epimenidis allegare, dicendo: quòd ſecundùm Argivorum opinionem, Epimenidis anima corpore excedebat, quum vellet, & regrediebatur, quando ipſi placebat, &c. Hac igitur fabellâ juxta modum dicendi Pneumocoſmicorum admiſsâ, ſequitur, quòd reſurrectio mortuorum quoad

ad ſubſtantiam & modum naturalis erit, quod directè ſubvertit articulum noſtræ fidei de reſurrectione carnis, quam quidem divinâ perficiendam eſſe virtute credentes ſperamus, atque ſperantes credimus.

§. 95.

O D E

De reſurrectione carnis

In illa verba S. Paul. Corinth. 15. *inſipiens, tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi moriatur. & quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus, ſicut vult, & unicuiq; ſeminum proprium corpus.*

Quæ rogo ſufficient nobis ſolatia, vel quæ
  Sanabit feſſos jam requies animos:
Si nec tanta poteſt ægris medicina mederi,
  Quæ vitas, obitâ morte, redire docet?
Mœror abi, diſcede pavor, fuge culpa, ruit mors,
  Vita reſurrexit, Chriſtus in aſtra vocat.
Morte meâ functus, mihi mortuus, & mihi victor,
  Ut mors peccati ſit mihi vita Dei.
Denique ſervatum jam de cruce dixit aperto
  Limite latronem, qua paradiſus adeſt.
Munere quo ſignum dedit & peccata piare,
  Et nemoris vetiti vincere ſepta fide,
Talibus exemplis, tanto ſponſore ſalutis
  Erectos, lætis vertere mœſta decet.
Pellamus querulos ingrato corde dolores;
  Et redeant terſis lumina pura oculis.
Credamus Chriſto, quod in ipſo vidimus, ijſdem
  Nos quibus occidimus, ſurgere corporibus;
Sed doceat Paulus: quia non æterna videntur,
  Æterna humanis abdita ſunt oculis.

Inſipiens terrena vide, cœleſtia Crede;
Obtutu mundum conſpice, mente Deum.
Hinc pretioſa fides, nam ſicut gratia jam non
Gratia, ſi meritis attribuatur, erit:
Sic & nulla fides, niſi quæ quod non videt, illud
Credit, & æternam, ſpe duce, rem ſequitur.
Mortales miſeri, querulum genus, impia tandem
Pectora mollitis mentibus exuite.
Heu quónam precor uſque gravi mendacia corde
Quæritis, & vani lubrica diligitis?
Commutate vias, diſrumpite vincula mortis,
Et date prædulci libera colla jugo.
Sumite divinas pro libertate catenas,
Crimine quæ ſolvunt, & pietate ligant.
Qui ſequeris tenebras, in aperto lucis oberras,
Et quia nocte vides, lumine cæcus agis.
Ergo oculos mentis Chriſto referemus & aures,
Ut mens peccato clauſa, Deo pateat.
Nam quæ corporeis ſua jam promiſſa revelat
Viſibus, & claris monſtrat operta Deus.
Cuncta reſurgendi faciem meditantur in omni
Corpore, & in terris germina, & aſtra polo.
Noctes atque dies ortus obitúſque viciſſim
Alternant, morior nocte, reſurgo die;
Dormio corporeæ ſopitus imagine mortis,
Excitor à ſomno, ſicut ab interitu.
Quid ſata, quid frondes nemorum, quid tempora? nempe
Legibus his obeunt omnia, vel redeunt.
Vere reſurgentum cunctis ſua rebus imago
Poſt hyemis mortem vivificata redit.
Sed quærunt, quali reparetur mortuus omnis
Corpore? quóve modo fiat homo ex cinere?

Lege Iſai. c. 26. 1. Theſſalon c. Paulin. in Epiſt. 43. de obitu Celſi pueri. S. Epiph. hereſ. 64. contra Origen. in Ancorato. Tert. lib. de reſur. carn. c. 4. 5. & 6. Theophil. lib. 1. ad Autolyc. Juſt. Mart. ad 5. qq Graec. Auguſtin. in enchir. c. 48. lib. 12. ſuper Geneſ. cap. 35. lib. de catech. ſerm. 1. lib. de Verbis Domin. ſerm. ult. lib. de 6. qq. queſt. 1. lib. de conſolat. mortuor. c. 2. lib. de ſymb. c. 11. &c. D. Ambroſ. lib. de fide reſurr. Chryſoſt. Homilia 50. ad popul. Antioch. N. Mag. Gregor. Pap. lib. 14. Moral. cap. 30. D. Thomam q. 75. in addit. ad 3. part. Athenag. & alios complures.

Digitized by Google

Si non ſufficiunt ſacris ſignata Prophetis;
　　Multa fidem clamant, credite conſpicuis.
Cernite nulla ſuis emergere ſemina campis,
　　Ni priùs intereant labe ſoluta putri.
Nuda ſeris, veſtita legis, jacis arida grana.
　　Atque eadem fructu multiplicata metis.
O perverſa fides, & diffidentia nobis,
　　Credere nos terris, & dubitare Deo!
Et certâ nil terra fide ſpondere nec auſa,
　　Nec potuit, quin & ſæpè fefellit ager,
Vix commiſſa ſibi reddens ſata, nec tamen illi
　　Credere deceptus ſpem ſegetis dubito.
Nec piget incertis certum ſudare laborem
　　Frugibus, & nudo credere nuda ſolo.
Quòd ſi terra poteſt corruptum reddere ſemen,
　　(Quod tamen æterni lege facit Domini)
Difficile Omnipotentis opus fore creditur, ut nos
　　Ex nihilo factos, ex aliquo reparet?
Nullus eram, & faciente Deo, ſum natus, ut eſſem,
　　Jam nunc de proprio ſemine rurſus ero.
Nam licet in tenuem redigantur & oſſa favillam,
　　Corporis integri ſemina pulvis habet:
Cúmque etiam cineres vacuatis terra ſepulchris
　　Cognato immiſtos ceſpite ſorbuerit,
Tunc quoque corporeis hominum vaneſcere viſos,
　　Luminibus ſolidos continet Omnipotens;
Inque die magno, quæ nunc abſumpta putamus
　　Corpora, cernemus ſurgere tota Deo.
Nulla cui natura perit, quia quidquid ubique eſt,
　　Omne Creatoris clauditur in gremio.
Quos aqua fluminibus, Pelagóque & piſcibus haurit,
　　Quos volucres, & quos diripuêre feræ:
Cunctos terra Deo debet: quia quos aqua merſit,
　　Littore vel fundo ſtrata recepit humus,
Oſſaque porrectum latè diſperſa per agrum
　　Ultrò ad compages currere juſſa ſuas.

Atque medullatis penetralibus edere nervos
  Moxque ſupernatâ ducere carne cutem.
Et dicto citiùs perfectis ordine membris,
  Pulvere de veteri ſtare novos homines.
Ac ne fortè, quod eſt ſacri manifeſta Prophetæ
  Viſio, ſopitis omnia vana putes:
Majorem ſuper his & plenum ſuſcipe teſtem,
  Ipſe Prophetarum nam loquitur Dominus:
Vita ego ſum, qui in me credet, nec morte peremptus,
  Conſorti mecum luce beatus aget.
Denique quod verbo dixit, virtute probavit,
  Ipſe ſuum revocans ex Erebis hominem,
Tempore quanquàm illo non tantùm in corpore Chriſtus
  Signa ſuo dederit, cum cruce victor obit.
Namque, ut concuſſis patefecit Tartara terris,
  Et vinctum inferno carcere ſolvit Adam,
Fiſſa reſurgentes ruperunt ſaxa ſepulti,
  Et novus in ſancta floruit urbe tholus.
Viderunt multi veterum renovata piorum
  Corpora, deſcenſu vivificata Dei.
Tunc etiam refugo cœcatus lumine mundus
  Æternâ timuit nocte piare neſas. *Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.*
Tunc & diſcuſſo nudata & altaria velo
  Amiſère ſacri relligionem adyti.
Ut monſtraretur vacuandum numine templum;
  Et fore ab hoſtili ſancta prophana manu.
Quod duce Romano docuit poſt exitus ingens,
  Everſis templo, civibus, Urbe, ſacris.
Quæ licet una, tamen non uno ſumpta ſepulchro,
  Sparſa locis laceri funeris oſſa tegit.
Et quia conſumptus, ſimul & conſumptor in uno
  Telluris gremio, morte ferente cadunt,
Sive per egeriem, qua ſe ſe animalia purgant,
  Reddunt digeſtis membra vorata cibis.
Humanum corpus transfunditur ex alieno
  Corpore, nec perdit vim proprij generis.

Sed

Sed licet è membris in humum transmiſſa ferinis
    Membra hominum vivo ſemine ſalva manent,
Et moriente ferâ, cui fortè cadaveris eſca
    Humani fuerit, dividitur ratio.
Namque animal rationis homo eſt, ideóq; & in ipſo
    Rex alijs præſtat corpore corporibus.
Inde licet poſſit multis animalibus idem
    Præda dari, tamen his fortè coire negat.
Sola reſurgendi caro perceptura vigorem,
    Quæ rationalis vas animæ fuerit.
Ut reducem terris animam compage refectâ,
    Jam non lapſuro tegmine ſuſcipiat.
Et velut hîc omni mens & caro jungitur actu,
    Sic & in æternam ſint ſociata diem.
Ut carpant ſocio geſtorum præmia fructu,
    Conſortes meriti luce, vel igne loci.
Propterea quamvis nos, & ſpirantia cuncta
    Unam ſortiti corpore materiem,
Non tamen in vacuum revocamur morte ſoluti,
    Exſortes animæ carnis ab occiduo.
Sed clangente tubâ, reddentibus undique terris,
    Noſtra ex arcanis corpora ſeminibus,
Corpore mente animâ rurſum in ſua fœdera nexis,
    Integri Dominum ſiſtimur ante Deum.
Si dubitas cineres in corpora poſſe recogi,
    Et fieri reduces in ſua vaſa animas.
Ezechiel tibi teſtis erit, cui prodita dudum
    Tota reſurgendi per Dominum facies.
Illic aſpicies toto viveſcere campo
    Arentes veterum relliquias hominum.

Lege Iſai. c. 26. ubi ſic: vivent mortui, cum cadavere meo reſurgent.

CHriſtus (reſpondent Pneumocosmici ſolutione ad objectionem 11. cap. 11. Typhi folio 138.) dixit: *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; ſed ſi forma phyſica grani periret,

Joann. c. 12.

ret, non remaneret principium, à quo poſſit multiplicari; ergo in ſeminibus & ſimilibus mors duntaxat eſt accidentalis; ac proinde nulla contingit partium ſubſtantialium deſitio, vel ſeparatio. Hæc ſectarij: ſed contra eſt.

Proſcriptiva ſatisfactio.

EXpungi etiam oportet (præcipitur in inſtruct. regulis indicis libror. prohibitor. adjectâ juſſu Summor. Pontificum Clement. VIII. Alexand. VII. & noviſſimè Clementis X.) *verba ſacræ Scripturæ, quæ ad ſenſum detorquentur abhorrentem à Catholicorum PP. atq; DD. unanimi ſententia*; atquì allegata verba ſacræ ſcripturæ detorquentur à Pneumocoſmicis ad ſenſum abhorrentem à Catholicorum Patrum atque Doctorum communi ſententia, ut ex ſupradictis patet: ergo &c. Quocirca expungendi iterum ſunt prædicti ſpiritûs mundi fautores, qui teſtimonium S. Pauli ex 5. cap. 1. ad Theſſal. *Ut integer ſpiritus veſter & anima &c.* & 1. verſum Cantici Deiparæ Mariæ immaculatæ: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus &c.* Sic interpretantur: *in quibus textibus per ſpiritum videtur optimè intelligi anima rationalis: per animam ſenſitiva; ne alioquin idem inutiliter repeti dicatur.* Expungendi (inquam) ſunt, non ſolùm quia talis expoſitionis intellectus contra ſacros eſt canones & Eccleſiæ Patres, ſed etiam, quia manifeſtam præſefert contradictionis notam, quæ ſic oſtenditur: ſpiritus mundi eſt in Chriſto, ut eſt in confeſſo apud ſectarios, ſed Chriſtus expiravit, juxta quatuor Evangeliſtarum infallibilia teſtimonia: nam Joan. cap. 19. *inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Luc. cap. 23. *clamans voce magnâ Jeſus, ait: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum; & hæc dicens, expiravit.* Marc. cap. XV. *Jeſus autem, emiſsâ voce magnâ, expiravit.* & Math. cap. 27. *Jeſus autem, iterum clamans voce magnâ, emiſit ſpiritum.* ergo Chriſtus mundi ſpiritum emiſit. igitur mundi ſpiritus ſeparatus fuit in triduo mortis Chriſti à corpore ejus ſacratiſſimo. Utraque conſequentia infertur legitimè, quia aliàs Chriſtus non expiraſſet; atquì ſpiritus emiſſus non diſtingvitur realiter ab anima rationali ipſius Chriſti: ergo ſpiritus & anima ſecundùm ſenſum ſacræ ſcripturæ non diſtingvuntur realiter; ergo vana eſt Academico-

Pneu-

Digitized by Google

Pneumocoſmicorum interpretatio; ergo &c. Confirmatur: de fide eſt, quòd Chriſtus poſuit animam ſuam, juxta illud Joann. 10. *animam meam pono pro ovibus meis*: & illud ex eodem capit. *majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* & illud Iſai. c. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam &c.* & Matth. 26. cap. *triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem &c.* atquì anima à Chriſto pro amicis poſita fuit rationalis: ergo ſpiritus & anima in homine realiter idem ſunt. Voluntaria ergo eſt Pneumocoſmicorum interpretatio &c. Idem judicium ferendum eſt de ordinaria expoſitione ipſorum ad teſtimonia ex cap. 1. 2. & 7. Genes. deſumpta, quibus generatio & formarum ſubſtantialis corruptio divinitùs inſinuatur. Unde ad propoſitam objectionem conſúltò nolumus hîc reſpondere Phyſico-theologicè, ne in græcanicum adigamur adagium: *ἀετὸς μυίας θηρεύει*, id eſt, *aquila venatur muſcas.* Satisfaciemus tamen (Deo dante) in quæſt. de reſurrect. carnis, in gratiam cujuſdam Academico-Saducæi exagitandâ; & tunc verificabitur *αἰετὸν ἵπτασθαι διδάσκεις.* Nunc autem omni Aſſertori ſpiritûs mundi Academico-Pneumocoſmico cum modulamine dicimus vale:

O D E.

SAcra tuæ geneſis ſileant oracula Moyſes,
Nec celebris verum fama loquatur opus.
Altera nunc geneſis toto pervolvitur Orbe,
Cujus multorum lectio corda tenet.
Judicio ſtent dicta tuo, nec pagina verum
Dicet, quando venit ſpiritus orbe novus:
Qui veteris Sophiæ, vel provida dogmata Moyſis
Reſpuit, indocti dat monumenta viri.
Admiſſus ſacros Erymanthius Urſus in agros
Spumat, & innocuam depopulatur humum.
Quos nova delectant, dociles hîc ſiſtite mentes,
Dum nova quæque novus ſpiritus Orbis habet.
Forſan & hic præſens novus eſt Platonicus annus,
Omnia cum mundo qui renovata feret?
Cùm nova ſpargentur totum paradoxa per Orbem,
Doctrinæque recens ſurget ubique ſeges.

Digitized by Google

Cùm pecudes hominèſque informet ſpiritus idem,
Evadunt formæ conditione pares.
Scilicet hic ſcopus eſt, hæc improba meta laboris;
Abdita quo veri tegmine falſa probant.
Ut, quæ Pythagoræ, vel quæ paradoxa Epicuri
Priſca, licet veri neſcia, mens foveat.
Democriti hinc atomi rurſus glomerantur in orbem,
Et redit errorum, quod fuit ante, chaos.

Petes, an Salomon fuerit ſalvatus?

§. Ultimus.

Salomonis refertur peccatum.

REx autem Salomon (ſcribitur lib. 3. Reg. cap. 11. v. 1.) *adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoq; Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cetheas de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filijs Iſraël:* * *non ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum. His itaq; copulatus eſt Salomon amore, fuerúntq; ei uxores, quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ, & averterunt mulieres cor ejus. Cúmq; jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David Patris ejus: ſed colebat Salomon Aſtartem Deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum. Fecítque Salomon, quod non placuerat coram Domino, & non adimplevit, ut ſequeretur Dominum, ſicut David Pater ejus. Tunc ædificavit Salomon Phanum Chamos idolo Moab in monte, qui eſt contra Jeruſalem, & Moloch idolo filiorum Ammon, atq; in hunc modum fecit univerſis uxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant Dijs ſuis. Igitur iratus eſt Dominus Salomoni, quòd averſa eſſet mens ejus à Domino Deo Iſraël, qui apparuerat ei ſecundo, & præceperat de verbo hoc, ne ſequeretur Deos alienos, & non cuſtodivit, quæ mandavit ei Dominus.* De ejusdem peccato fit mentio Eccleſiaſt. 47. cap. his verbis: *inclinaſti femora tua mulieribus, dediſti maculam in gloriam tuam, & profanaſti ſemen tuum &c.*

Exod. 34. Deut. 17.

Aſtarte, quam Cicer. 3 de nat. Deor. dicit fuiſſe Venerem, ſecundùm noſt. Strabon. lib. 16. Atergatis, vel Atargata vocabatur. Vide Rhodigin. lib. 23. cap. 5. Macrob. 1. Satur. Plinium de monſtris, & alios complures.

§. Cer-

§.

Certa præmittuntur.

SUpponimus, quòd peccatum Salomonis non fuerit actus ſecundùm ſpeciem ſuam formalis ſuperbiæ, quæ ex inflante ſcientia communiter oritur, ſed formalis inconſtantiæ & intemperantiæ, juxta illud: *Salomon adamavit mulieres alienigenas multas &c.* & conſummativè idololatriæ, juxta illud: *cúmq; jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos.* Hæc ſuppoſitio confirmatur ſubſequentibus ejusdem textûs verbis: *igitur iratus eſt Dominus Salomoni, quòd averſa eſſet mens ejus à Domino Deo Iſraël.* Averſa, inquam, præſuppoſitivè per actualem transgreſſionem illius præcepti: *ſuper quibus dixit Dominus filijs Iſraël: non ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad veſtras.* & ſubſiſtendi conſequentiâ, per conſequentem culpæ converſionem in uxores alienigenas, tanquam in bonum commutabile, juxta illud: *his itaq; copulatus eſt amore* (ſcilicet inordinato, ac per conſequens copulâ lege prohibitâ) *nam præceperat de verbo hoc &c. & non cuſtodivit.* Ex hac ſuppoſitione, quæ veriſſima eſt, conſtat, quàm indiſcretè quidam Neotericus aſſeruerit, peccatum Salomonis fuiſſe ſuperbiæ actum, ex inflante ſcientia prognatum formaliter; quaſi verò non eſſet vera ſententia: *vinum & mulieres errare faciunt ſapientes.* Si vera eſt: non ergo ſapientia Salomonem, ſed mulieres ſapientem errare fecerunt. ergo &c. his prælibatis, ſit

Exod. 31.

I. Deciſio Salomonis.

S*Unt juſti* (reſpondemus 1. cum ipſo Sapiente Salomone Eccleſiaſt. cap. 9.) *atq; ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit? ſed omnia in futurum reſervantur incerta. Quis enim* (concludimus cum eodem proverb. 20.) *poteſt dicere mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?*

I I. Eſt S. Nili.

ROgatus olim S. Nilus, an Salomon ſalvus eſſet? reſpondit, de Salomone nihil uſpiam legimus in ſacra ſcriptura, quòd poſt pec-

Vide Baron. anno Chriſti 976.

Digitized by Google

peccatum pœnitentiam egerit, ſicut Manaſſes. Quis ergo dicere poterit de illo, quòd ſalvus ſit Idem ſentit S. Auguſt. in Pſal. 126. Deinde 1. Paralip. 28. de Salomone dicitur: *ſi quæſieris Dominum, invenies eum, ſi autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.* De eodem dictum fuerat: *firmabo regnum ejus uſq; in æternum, ſi perſeveraverit facere præcepta mea, & judicia, ſicut & hodie.* Denique Syracides aſſignat lapſum Salomonis, tacet verò pœnitentiam, quam non tacuit in lapſu Davidis verſ. 13. dicens: *Dominus purgavit peccata ipſius.* cùm ergo Salomon non perſeveraverit in mandatorum Dei obſervantia, cum præſcitis computandus venit. His nihil obſtantibus ſit.

III. Deciſio Salomonis.

SAlomon ipſe, ſecundùm interpretationem Septuaginta interpretum in Eccleſiaſten, aſſerit, ſe egiſſe pœnitentiam, his verbis: ὕστερον ἐγὼ μετενόησα ἐπέβλεψα τοῦ ἐκλέξασθαι παιδείαν. Id eſt: *noviſſimè egi pœnitentiam, & reſpexi, ut eligerem diſciplinam.* Septuaginta interpretibus ſubſcripſit Author gloſſæ ordinariæ, dicens: *Salomonem præ cæteris omnibus ſui temporis Deum graviùs offendiſſe, adeò ut idolis concubinarum ſuarum thus dederit, templáq; ijs in urbe Jeruſalem erexerit. Verùm poſtea ipſum tantorum pœnituiſſe ſcelerum, & in ea pœnitentia librum Eccleſiaſtem compoſuiſſe: in quo apertè oſtendit, omnia vana eſſe & caduca, atq; ita & ſe & alios revocat ab omni amore mundano*, dicens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* ac per conſequens concludit ultimum libri caput hac ſententiâ: *Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo. & contra, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni abſcondito, ſive bonum, ſive malum ſit.* Notandum hîc obiter venit, quòd hic liber (ut refert S. Hieronymus in præſenti) ex hoc uno capite meruit authoritatem apud Hebræos, ut in divinorum voluminum numero poneretur, quòd totam diſputationem concluſerit ſanctè, dicens: *Deum time &c.*

Eccleſiaſt. cap. ultimo.

IV. Deciſio.

lib. 2. apolog. de David. cap. 3.

QUid de Salomone? (inquit S. Ambros.) *quem quoniam judaicum vulgus æſtimabat veniſſe pro Chriſto, ne videretur eſſe ſupra homi-*

hominem, corruit permiſſu divino: ſed & Hebræorum ſcripta adeo conſpicuè eum ſanctum nominant, ut à nobis de ejus pœnitentia dubitationem tollant. imò aſſerunt Hebræi, Salomonem templum, quod ipſe ædificarat, ingreſſum eſſe cum quinq; virgis, ex quibus quatuor dedit totidem legisperitis, ut ab eis verberaretur, qui, inito inter ſe conſilio, reſponderunt, ſe in Chriſtum Domini manus non miſſuros. itaq; ſuo fruſtratus deſiderio, ſe ſe exauthoravit, regnumq; poſuit. Hæc Ambroſius Doctor Eccleſiæ, cui ſubſcribunt S. Hieronymus in Ezechiel, & in Eccleſiaſten, dicens: *dicunt Hebræi, locum eſſe Salomonis pœnitentiam agentis.* S. Hilarius in pſal. 52. S. Cyrill. Catecheſi 2. Bacharius in epiſt. ad Januar. & denique Magiſter ſententiarum in expoſitione verborum Nathan Prophetæ, Davidem de Salomone alloquentis: *ſtabiliam thronum ejus uſq; in ſempiternum, & ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium*, infert ex hac promiſſione, Salomonem ſalvum eſſe.

V. Chriſti deciſio.

Beatæ Mechtildæ ſollicitè interroganti de beatitudine quorundam reſpondit Chriſtus: *quid pietas mea cum anima Samſonis egerit, volo eſſe ignotum. Quid miſericordia mea de anima Salomonis conſtituerit, volo latere. Quid benignitas mea de anima Origenis decreverit, volo eſſe abſconditum. Quid miſericordia mea de Trajani anima definierit, volo ignorari.* Huic revelationi innitentes Noſter Panormitanus, Hoſtienſis, Lorinus, Turrecremata, Innocentius, Cornelius à Lapide, & alij nobiliſſimi Theologi, nullam in partem definitivè inclinarunt, ſed pendentem reliquerunt ſententiam.

Ultima eſt Noſtra deciſio.

Nos autem inhærentes revelationi Noſtræ S. Mechtildæ factæ aſſerimus, quòd non ſolùm Salomon, ſed etiam Samſon, Origenes & Trajanus conſecuti fuerint vitam æternam; quod ex terminis & modo ſignificandi revelationis ſic perſvadetur, diſcursûs gratiâ: *Quid miſericordia mea* (dixit veritas Chriſtus per Angelum ſuum Mechtildæ, ſi vera eſt revelatio, ut ſupponimus) *de anima Salomonis conſtituerit, volo latere* (idem dicendum de alijs tribus) ex qua propoſitione infertur haud obſcurè: ergo non ſolùm

Salomon, ſed etiam Samſon &c. ſalvati ſunt. Perſvadetur conſequentia: implicat per locum ab intrinſeco, dulciſſime Jeſu, ſalvâ æternæ prædeſtinationis ſententiâ, quòd attributum infinitæ miſericordiæ tuæ, intra quidditativos terminos miſericordiæ practicè practicæ conceptum formaliter, ſeu ut miſericordia reduplicativè eſt, aliquid conſtituat efficienter in ultimo inſtanti vitæ miſeri peccatoris, & quòd à miſeria non liberet peccati, & conſequenter producat in ejuſdem anima pignus gloriæ, remiſſionis gratiam, gloriâ coronandam; atquì miſericordiæ tuæ infinitum attributum non ſolùm de Salomone, ſed etiam de alijs tribus quicquam efficienter conſtituit, quod illorum animas in ſtatu ſeparationis comitatur inſeparabiliter, juxta illud: *Quid pietas mea: quid benignitas mea: quid miſericordia mea &c. conſtituerit, volo ignorari, volo latere &c.* ergo (cùm quidditas aliàs miſericordiæ tuæ practicè practicæ habeat pro termino ſuæ phyſicæ cauſalitatis quidditatem aliam, videlicet adoptionis gratiam, vitæ æternæ ſcaturiginem, quæ per illud *quid* quater repetitum ſatis innoteſcit) rationabiliter ſequitur, quòd non ſolùm Salomon, ſed etiam Samſon, Origenes & Trajanus ex numero ſunt electorum tuorum. Hæc omnia, Clementiſſime Jeſu Fili Dei vivi æterni Patris, & intemeratæ Virginis Matris MARIÆ, ob tua infiniti valoris merita in gratia conceptæ, dixerim, ſcripſerim, atque aſſeruerim in teſtimonium æternæ veritatis tuæ, gloriæ tuæ, omnipotentiæ tuæ, miſericordiæ tuæ, ſub auſpicijs tuæ benedictionis, tuæ liberæ cauſalitatis ad extra, ſine qua nihil eſt factum: tuæ miſericordiæ omnipotentis, qua omnia potes: omnia condis: omnia conſervas: omnium miſereris cohæredum Fratrum. Tibi ergo ſit cum Patre & Spiritu Sancto omnis virtus, honor, & gloria: mihi à te, per te, & ex meritis tuis infinitis multitudo miſerationum tuarum in ſæcula æterna. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

INSCRIPTIO.

Ἡ φύσις τῆ φυσιτέρπεται. Natura naturâ delectatur.
Ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ. Natura naturam vincit.
Ἡ φύσις τὴν φύσιν κρατεῖ. Natura naturæ dominatur.

Hæc inſcriptio exarata eſt in lapidea columna, quæ in templo Memphis tempore Magni Hoſtenis Sacerdotis inventa eſt, vide Democrit: Abderit. in lib. cui titulus eſt;

φύσικα ϗ μύσικα.

Digitized by Google

Digitized by Google

LEG. TORIA A.

oogle